



**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XVIII. De Jure convocandi Synodos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](#)

dicens: *Omnes primates & cuncti populi Bulgarorum terre cognoscant, ab hodierno die me servum fore post DEUM beati Petri, & Iesus Vicarii.* Ex unico hoc tonsuræ actu cum tot tantaque mysteria eaque planè contraria colligereliceat, facile patet, mysticas istas interpretationes, quibus admodum luxuriat Ecclesia Latina, planè nullius esse momenti, & meros esse ingeniorum humanorum lusus, nec putaverim ego, primos rerum inventores eosdem, qui elici hodiè solent, intradisse significatus.

XX. Illud addo, tonsuram istam sive Clericalem sive monachalem multâ quandoque cum solennitate peractam fuisse. Præterquam enim, quod ab Episcopo ea, & quidem cum benedictione, expediri debuit, etiam personæ aliquando in summâ dignitate constitutæ adhibebantur, qui primicias quasi ex capillis delibarent, & hoc ipso quasi susceptores essent novæ creaturæ. Ita refert Faustus monachus in vita S. Mauri Abbatis de Floro quodam: *Deinde veniens ante sacrosanctum altare adstante B. Mauro, & omni congregatione, -- -- jubente viro DEI, Rex primus post eum de comâ capitî ejus totundit, deinde, quicunq; ex optimatibus ejus voluit.* Eodem pertinet, quod ab imaginum cultoribus observatum refert Michael Imperator Constantinopolitanus, Iconomachus ipse, in epistola ad Ludovicum Imperatorem in Occidente: Alii, inquit, religiosum habitum monasticum sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui prius comam capitî eorum suscipere solebant, adhibitis imaginibus, quasi in finum earum decidere capillos illorum sinebant. Tota epistola extat apud Baronium ad ann. DCCCXXIV. num. 18. seq.

## CAP. XVIII. *De jure convocandi Synodos.*

### I.

**P**er synodum hîc intelligo conventum piorum, eruditorum & gravium virorum autoritate publicâ ex omnibus Ecclesiæ ordinibus congregatorum, ut de verâ & falsâ religione, vel de disciplinâ & ritibus Ecclesiasticis secundum præscriptum verbi divini collatis sententias judicent. Descriptio hæc accommodata est primis Conciliorum natalibus & institutis. Ab illis enim recessum sequioribus temporibus fuisse, negari haud poterit, si hoc saltem consideretur, Laicos in Scripturis divinis exercitatos hodiè ad suffragia non amplius admitti, quos tamen excludere noluerunt veteris Ecclesiæ Doctores. Corruptelæ aliae, quæ se ingesterunt subinde, ut hîc memorentur, parum facit ad institutum. Primum autem Concilium ab ipsis Apostolis celebratum refertur *Acto. XV.* idque veluti regulam

lam aliquam sibi præscriptam observarunt Ecclesiæ posteriores. Optimum enim maximumque creditum fuit semper quod Apostolos habuit autores.

II. Ex hoc autem Apostolorum instituto vix erit, ut de necessitate Conciliorum determinari certi quid possit. Quia enim *θεοπνευστι* fuerunt Apostoli omnes & singuli, potuissest quæstio controversa ab uno eorum accuratissimè decidi, nec opus adeò fuisset reliquorum conventu. Hæc namque fuit circa supernatura divinæ providentiae συγκαταβασις, ut in illis, quæ ad salutem hominis faciunt, consignandis ipsâ divinâ asistentiâ & Spiritu S. gubernarentur primi Ecclesiæ fundatores, ne quidquam vel dicerent vel scriberent, quod non esset ex re, vero, decoro & congruo. Quinimò, quia constat, Spiritum S. non tantum res, sed ipsam etiam methodum docendi, & phrasin, quâ res illas proponerent, Apostolis inspirasse atque illos inspirata optimè percepisse, & dehinc percepta ipso Spiritu S. suggestente tradidisse, & vel vivâ voce vel scripto proposuisse, ita ut nulla falsitas, nullus error, nullum erroris periculum sermonibus aut scriptis eorum subesse potuerit, facile hinc colligere licet, ad controversiam illam, quæ *Astor. XV.* ventilata fuit, decidendam necessariam non fuisse, ut convenitus Apostolorum simul cum reliquis Christi fidelibus indiceretur, sed potuisse eam ab uno aliquo Apostolorum ex dictamine Spiritus S. & *θεοπνευστι* illa, quâ non intellectus tantum, sed lingua etiam eorum gubernabantur, optimâ ratione definiri. Huc tamen videntur illi simul tracti cœlitus & gubernati fuisse, ut successuræ Ecclesiæ non quidem totidem verbis, sed *Ἄρχαγηματινας*, & ut exemplum inde capiatur, methodum præscribent, quâ uti possent tūm in lopiendis controversiis, tūm in ordinandâ disciplina Ecclesiasticâ, & condendis statuis ab Ecclesiâ obseruandis.

III. Sed & ex historiâ primitivæ Ecclesiæ abunde probari potest tantum non esse Conciliorum aut synodorum necessitatem, ut fine illis constare Ecclesia nequeat. Ea enim tūm fuit & Imperatorum plororumq; & magistratum in Christianos lævitia, ut nullum omnino eorum conventum, & ne in cœmiteriis quidem, quod eis tūm solenne erat, tolerarent. Res notior est, quâm ut prolixâ probatione illustrari debeat. Imò vero, cùm ipsum etiam nomen Christiani exosum esset, ut vel solum id ad condemnationem sufficeret, uti ex Tertulliani *apologet*, c. 2. Eusebii lib. 5. hist. Eccles. c. 1. & Plinii lib. 10. epist. 97. constat, quis crederet, solennes aliquos eorum conventus, qui synodos referre possent, habitos fuisse? Puto tamen, in ipsis illis conventibus, quibus cultum divinum privatim & occultissimè quandoque in cryptis & speluncis exercebant, deliberatum læpè & statutum de iis rebus fuisse, quæ ad fidem & disciplinam Ecclesiasticam facerent.

cerent, quæve Ecclesiam in statu suo aut conservare aut auctiorem reddere possent. Eoque referto verbo Tertulliani ex apologet. c. 39. Coimus ad litterarum divinarum commemorationem, si quid presentium temporum qualitas aut premonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nibilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de DEI conspectu; summumq; futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegateur. Præsident probati quiq; Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti, neq; enim pretio ullares DEI constat &c. Observat autem Isidorus Hispalensis lib. 6. Origin. cap. de canon. concil. in prioribus seculis Christianam religionem in variis hæreses fuisse prolapsum, idèo præcipue, quia non licuerit Episcopis in unum convenire, nisi postquam Imperator Constantinus M. rerum potitus fuisset.

IV. Isidori hæc sententia rectè opponitur iis, qui nullam omnino agnoscant Conciliorum necessitatem, urgentes, constitisse sibi primis trecentis annis Ecclesiam, ut maximè nullum habita fuissent concilia. Ut enim necessitas suos habet gradus, neque omne, quod quomodolibet ad effectum consequendum requiritur, eidem necessitatis generi substat: ita dici nequit, necessarium nullo modo esse, quod necessarium non est ad liberandam rem ab interitu. Consistere potest Ecclesia sine conciliis, sed valde afflita, & scissuris immanibus atque perpetuis subjecta, quas tollere solent, & sustulerunt magno sèpè cum fructu Concilia. Optimè hoc faciunt verba Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, quibus respondet sententia statuentium, necessaria non esse concilia, idèo, quod Pontifex Romanus ipse solus sufficere posit omnibus controversiis decidendis. Sic autem ille lib. de ref. Eccles. Si dicatur, quod bodiè non est opus Concilia generalia aut provincialia congregare, sicut fuit in primitivâ Ecclesiâ, & quod, ad tollendas vexationes Prelatorum in hujusmodi Conciliis, Romana Ecclesia seu Papalis curia potest sufficienter casibus emergentibus respondere, respondetur, quod hoc non est utiq; verum, tūm primo, quia experientia docet, quod propter defectum Conciliorum & maximè generalium totius Ecclesiæ, que sola potest audacter & intrepide omnes corrigere, ea mala que universalem tangunt Ecclesiam, diu remanserunt impunita, incorrecta, & adeò creverunt & inveterata sunt, ut tandem multa inusta & iniqua sub prætextu fictâ & corruptâ consuetudinis licita reputentur. Item multi suspicantur, quod hec dissimulaverit Romana Curia, & super hoc fieri neglexerit, ut posset ad suæ voluntatis libitum pleniùs dominari, & jura aliarum Ecclesiarum liberiùs usurpare. Quod non afferro esse verum. Sed quia contra eam hujusmodi laborat infamia, debent ad eam purgandam super congregatione Con-

Conciliorum generalium & provincialium providere. Alioqui, juxta dictum Augustini, si famam suam negligit, crudelis est. Item illa sanctissima Romana Curia S. Petri & Apostolorum, licet potuisse sine congregazione Concilii per epistolas vel alias vias causas & negotia Ecclesie faciliter terminare, tamen legitur quatuor Concilia celebrasse. Unde dicit Isidorus, quod quia ante tempora Constantini Episcopis non erat licentia conveniendi in unum scil. publicè per modum Concilii generalis, ideo Christianitas in diversas heres scissa est. Et ita dicere possumus modo, quia propter defectum celebrationis Conciliorum Ecclesia in diversa schismata & alia innumerabilia mala, forte etiam ad heres disponentia, prob dolor, lapsa est, &c.

V. Durior haud paulo est sententia Gregorii Nazianzeni in epist. 55.  
ad Procopium hunc in modum scribentis: *Si vera scribere oportet ita animo  
affectus sum, ut omnia Episcoporum concilia fugiam; quoniam nullius Concilii  
finem letum faustumq. vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessio-  
nem & incrementum babuerit.* Pertinaces enim contentiones & dominandi cu-  
piditates (ac ne me queso molestem & importunum existimes hec scribentem)  
ne ullis quidem verbis explicari queant; citiusque aliquis in culpam vocabitur,  
dum de aliena*judicium fert, quam ut aliorum perversitatem comprimat.* Satis  
indicant verba ipsa, quam mente, & quo sensu ita scripserit Gregorius. Re-  
spectum scil. habuit ad Concilia suo tempore habita, quorum eventum se  
vidisse memorat expectationi minimè respondentem, eò quod pertinaces  
contentiones & dominandi cupiditates, quæ verbis exprimi satis nequeant,  
consilia omnia everterint & contaminaverint. Nec certè sperari aliquid  
aliud unquam omnino potest, ubi contendendi libido dominatur, & hoc  
tantum agunt in synodis congregati, ut sententiam suam mordicus quisque  
defendat, nec cedere velit meliora monenti. Hoc enim verò etiam in ci-  
vilibus negociis valde lœdit pacem & tranquillitatem publicam, si in deli-  
berationibus pervicaciam unusquisq; & inflexibilem obstinationem men-  
te foveat, & pugnaciter cum reliquis certare secum constituat. De auto-  
ritate autem Conciliorum aliorum, quæ ab his vitiis immunita & libera fu-  
erunt, optimè sensisse Gregorium, alia ejus dicta ostendunt, præsertim quan-  
do Concilii Nicæni mentionem facit, quæ tamen prolixè hic recensere nulla  
urget ratio. Sed hæc w̄s ē παρόδως.

VI. Subesse verò adhuc aliam insuper causam existimo, propter quam non licuerit olim in tām solennes coētūs coire Christianis, quod scil. prohibita olim fuerint Collegia in universum omnia, nisi quæ nominatim vel Principis, vel Senatus auctoritate permitta essent l. i. pr. l. 3. pr. & S. i. ff. de colleg. & corp. Et quanquam in d. l. i. §. i. eod. religionis causa coire non esse prohibitum dicatur; accipi tamen id debet, de religione tali, quæ penitus non erat interdicta. At Christianorum religionem inter prohibitas

fuisse quis nescit? quippe quos homines omnium scelerum reos, deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimabant, ut loquitur Tertullianus *apol. c. 2.* Vetere SCto negotium erat magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulos vatesque foro, circo, urbe prohiberent, vaticinos libros conquerirerent, comburerentque: omnemque disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano abolerent. Judicabant enim, nihil æquè dissolvendæ religionis esse, quām ubi non patrio sed externo ritu sacrificaretur. *Liv. decad. 4. lib. 9.* Propter hoc SCtum tām male accepti sunt publicē ac privatim Christiani, ut non temperarit sibi acutissimus Jctus Ulpianus, Consiliarius Alexandri Severi, & Magister Scrinii, quin scriptis suis Christianum dogma sibi confutandum proponeret. Traditque Lactantius *lib. 5. Instit. c. 11.* septem rescripta Principum collegisse eum in libris *de offic. procons.* ut doceret, quibus poenitentiis oportet eos, qui se cultores DEI profiterentur. Quis crederet ergo licitum fuisse Christianorum præsulibus & ministris Ecclesiæ solennes ejusmodi conventus, qui Conciliorum speciem referrent, habere? cūm præsertim Tertullianus in *apologetico* multam impendat operam, ut excusat coitiones eas, quæ cultus divini exercendi gratiâ siebant.

VII. Si quæ igitur tūm temporis habitæ fuerunt Synodi, & rariores illæ fuerunt, & paucorum numero, & in latebris absconditæ, & nulla autoritate publicâ coactæ. Quin videntur istiusmodi tales deliberationes, quæ ad fidem & disciplinam pertinebant, plerumque in illis locis, ubi res divina fiebat, post finitas preces suscepτæ, & ab universâ, quæ tūm congregata erat, Ecclesiâ finitæ. Crebriores tamen forte fuerunt aliquando tales congressiones, & ex vicinis quoque Ecclesiis collectæ, prout remissius aut adstrictius fuit imperium eorum, qui gubernacula tenuerunt. Simulatq; vero Constantinus M. rerum potitus fuerat, major illico libertas dari cœpit Christianis, ut non coire tantum tutò ad sacra celebranda, sed etiam seorsim ad deliberationes de rebus Christianam religionem concernentibus habendas liceret. Utramque tūm Synodus & Ancyranam & Neocæsareensem, in confinio persecutionis & tranquillitatis coisse certum est, præsertim cum Ancyranam pleraque de lapsis in persecutione constituat, & utraque collapsam disciplinam instauret. Secutum deinceps est Concilium Nicænum, quo in Ecclesiâ post Apostolos nihil aut illustrius augustius fuit, aut gravius habitum est, aut multis seculis magis in omnium ore atque etiam disputatione versatum. Atque ab eo tempore non publica tantum fieri, sed etiam publicâ autoritate nisi cœperunt Concilia Christianorum, ita ut sub certis deinde regulis continerentur, & decreta ab eis facta obedientiam exigirent legibus conformem.

VIII. Quan-

VIII. Quantum igitur ad primitivæ Ecclesiæ statum respicere licet, non videtur tūm temporis inter Christianos tanta fuisse potestas, quæ convocatione aliquā imperativā cogere synodum potuisset. Si qui enim conventus ex aliis Ecclesiis particularibus habiti fuérunt, mutuo illi consensu mutuisque adhortationibus & petitionibus collecti fuérunt. In ipsâ Ecclesiâ Apostolicâ, cùm disceptatio de Legis Mosaicæ observatione apud Antiochenos exorta fuisse, decretum inter eos fuit, ut adscenderent Paulus & Barnabas & quidam alii ex illis ad Apostolos ac presbyteros Hierosolymam, percontaturi de quæstione. Atque hoc pæcto communi eorum consensu ac decreto dirempta lis fuit, custodita fidei veritas & in Ecclesia pax conservata. Ad ejusmodi exemplum Episcopi, qui illis successerunt, similes conventus de causis similibus instituerunt, & communi congressu colloquioque tūm doctrinæ tūm disciplinæ negotiis, quæ ad Ecclesiarum suarum statum pertinebant, prospexerunt. Quod si omnino aliquis inter eos fuit, quem conventus tales cupientem sequerentur reliqui, eum autoritate magis, quām potestate prævalentem fuisse, verosimile est. Magnam autem inter potestatem & autoritatem intercedere differentiam, quis nescit? Potestas enim jus quoddam imperii, regiminisque significat, quo prædicti sunt superiores in suis inferiores, ad humanam societatem conservandam, qualem habent Principes in subditos, Domini in servos, mariti in uxores. Autoritas verò est quædam existimatio, & bona opinio propter virtutes, quas dignas esse judicamus, ut à nobis aestimentur. Quos enim vel virtutis suæ, vel prudentiæ, vel conditionis causâ aut propter alias dotes tanti aestimamus, ut eos tanquam autores nobis in actionibus, judiciis, factis, dictisve imitando proponamus, illi multæ autoritatis apud nos esse dicuntur, et si potestate in nos destituantur. Hâc igitur ratione potuit aliquis inter Ecclesiæ primitivæ pastores tantæ autoritatis fuisse, ut cùm ille de synodo habendâ animi lententiam reliquis proposuisset, hi illicò assensum suum præstiterint, & ad locum destinatum converint.

IX. Postquam verò Principes religionem Christianam desertâ idolatriâ amplexi fuerunt, uti tūm etiam in Ecclesiis potestatem sibi jure optimo vindicarunt, ita etiam conciliorum inductionem & regimen ad se pertinere arbitrati sunt. Præter rationes enim alias, & fortissimam quidem illam, quod forma regiminis politici exerceri & conservari sine jurisdictione aliquā circa sacra sive religionem in genere dictam nequeat, etiam illa maximè inservit, quod, ut supra dixi, collegia omnia & coitiones suspicione non earerent, & propterea prohibitæ essent, præsertim cùm ipsa tota religio Christiana infinitorum delictorum rea argueretur. Cùm verò Imperatoribus Christianis satis constaret, quis Conciliorum & Synodorum

Qqqq 2

dorum

dorum finis esset, quæve negotia in illis tractarentur, non permiserunt tantum ejusmodi conventus, sed iūsū etiam suos & mandata interposuerunt, imò voluerunt, ut sua maximè in illis convocandis intercederet autoritas, neque se invitis talis aliqua congregatio fieret. Ab eo igitur tempore, quo Imperatores Christianam fidem suscepserunt, autoritate publicâ eaque vel expressâ vel tacitâ convenerunt Ecclesiæ Doctores. Ad quasvis enim particulares synodos necessarius non fuit, sive jussus, sive consensus Principis expressus, sed sufficere vîsum fuit, quod in genere tale aliquid ab Imperatoribus constitutum esset, quodque illi quæstiones circa religionem & disciplinam ecclesiasticam occurrentes ad synodos Theologicas remisissent, ut patet ex constitutione Gratiani in l. 23. C. Theod. de Episcop. Theodosii junioris in l. 6. C. Justin. de SS. Eccles. Justinianii in novell. 137. c. 4. Caroli Magni, capitul. lib. 1. c. 133. De generalibus autem conciliis diserte Socrates in procœm. lib. 5. bish. Eccl. Ex quo Imperatores Christiani esse ceperunt, ex illis peperdérunt res Ecclesiasticae, καὶ μεγάλης σύνοδος τῷ ἀντώνῳ γραμμήσασθαι καὶ γένονται, & maxima quæque concilia eorum arbitrio tunc facta sunt antea, tunc bodieq; fiunt.

X. Ut, quæ dixi, vera esse, appareat, operæ erit pretium in historiam ejus temporis excurrere, & quæ tunc Constantini, tunc successorum ejus, hâc in re fuerit potestas, primis quasi apicibus describere. Rerum potitus fuit Constantinus ineunte seculo quarto. Sub ipsis his imperii initiis tetricum Donatistarum schisma in Ecclesiâ Africâ ortum habuit, quod anno CCCXXI. in hærefin manifestam erupit. Antequam verò hoc fieret, criminaciones variae in Cæcilianum ex diacono electum Episcopum Carthaginem sparsæ fuerunt, quibus cum nihil omnino commoveri Cæcilianum, & universos suos conatus impediri per eum animadverterent, Donatistæ Anulinum Africæ Proconsulem adierunt, petentes, ut libellum suum, quem adversus Cæcilianum scriperant, ad Constantimum Imperatorem in Galliis tunc agentem, additis literis promotorialibus mitteret. Quas cum accepisset Imperator, & secum perpendisset, ne-gocium istud optimâ ratione per Synodale aliquod decretum ex plurimum cognitione terminari posse, concilium particulare indixit Romæ habendum apud Melchiadem Episcopum Romanum, adeo ut Constantinus meritò autor dicatur ejus Synodi, & quidem talis, qui non svasione tantum, ob quam sè penumero autor quis dicitur, sed etiam jussu & mandato suo Synodum istam coëgit. Hoc enim innuunt verba ipsius Constantini in literis ad Melchiadem: Placuit mibi ut idem Cæcilianus una cum decem Episcopis, qui accusare ipsum videntur, & cum decem aliis, quos ipse ad suam causam necessarios esse judicaverit, Romanam naviget: ut ibi coram vobis & coram

coram Reticio, Materno ac Marino Collegis vestris, quos ea causâ Romam pro-  
perare jussi possit audiri, quemadmodum sanctissimæ legi convenire optimè nosfis.  
Tota epistola legitur apud Eusebium hist. Eccl. lib. 10. cap. 5. Et concilium  
istud habitum fuit anno Domini CCCXIII. Adjuncti deinceps in hoc Con-  
cilio ab ipso Imperatore videntur suisse adhuc alii, qui cognitioni isti expe-  
diendæ interessent. Sic enim intelligo verba ejusdem Constantini ad Vi-  
carium Africæ, cùm de Arelatensi concilio celebrando ad eum scriberet:  
Nam etiam ad supradictum Urbem nostram Romanam quosdam Episcopos  
ex Galliis ire præceperam, ut tamen hi pro integritate vitæ suæ, atque lauda-  
bili instituto, sed & se ptem ejusdem communionis, quā etiam Urbis Ro-  
manæ Episcopus, atque illi qui cum iisdem cognoscerent, possent rei, quæ vi-  
debatur esse commota finem debitum adhibere.

XI. Succubuerant in hoc Concilio Donatistæ & causâ ceciderant, sed  
à decreto ad Imperatorem appellaverant, prætendentes quod eorum omnis  
causa non sussit auditæ; sed potius iidem Episcopi (Cognitores) quodam loco  
se clausissent, & prout ipsis aptum fuerat, judicassent, ut refert ipse Constanti-  
nus in dictâ epistola. Hæc igitur querela occasionem dedit, ut Constanti-  
nus novam de alio Concilio Arelati habendo susciperet curam, quod idem  
anno mox sequente indixit, & ex Episcopis Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ,  
Africæ & Italiæ coëgit ipse. Perspicua satis in eam rem sunt verba episto-  
lae ejusdem Constantini ad Episcopum Syracusanum, quā jubet eum cum  
duobus aliis ad Concilium istud proficisci: *Quoniam ergo plurimos ex diver-  
sis compluribus locis Episcopos in Arelatensem oppido ad Katendas Augusti conve-  
nire præcepimus, tibi etiam per literas significandum duximus, ut accepto à clarissimo  
Viro Latroniano Correctore Siciliae publico vehiculo, cum duobus aliis secun-  
da sedis, quos ipse diligendos judicaveris, tribusq; una famulis, qui vobis in viâ  
ministrarent, adscitis, designatum in locum ad diem prædictam te conferas: ut per  
gravitatem tuam, & cæterorum, qui conventuri sunt, unanimem confirantemq;  
prudentiam, dissidium hoc, quod male hæc tenus per foedas quasdam contentiones  
perseverat, omnibus auditis, quæ ab iis, qui inter se nunc dissident, quosq; pariter  
adesse jussimus, in medium proferentur, ad debitam religionem & fidem fraternali  
concordiam, vel serò tandem revocari queat.*

XII. Ab hoc Arelatensi judicio Donatistæ denuò appellaverant ad  
ipsum Imperatorem Constantimum, quos cùm Romanum cum Cæciliano  
evocasset Imperator, nec tamen eò venire tempore destinato posset Cæci-  
lianus, Mediolani tandem, quo secesserat Imperator, institutum fuit judi-  
cium. Venérunt eò quoque Donatistæ. Ibique Imperator causâ cogniti-  
tâ ultimo judicio Cæcilianum innocentissimum, Donatistas verò improbis-  
simos judicavit, uti scribit Augustinus epist. 162. Ex quo constat, quanta  
cum temporis in ipsa concilia fuerit potestas Imperatorum. Non obstan-

Qqq 3

te

te enim quod in particulari concilio Romano, & pleniore Arelatenfi causa Donatistarum ventilata jam & decisa esset, Constantinus nihilominus novum penes se judicium constituit, sine dubio mutaturus decretum synodale, sicut id parum conforme illis, quæ proposita fuerant, deprehendisset. Imperatoris autem illud judicium habitum fuit, uti colligere licet, anno Domini CCCXV.

XIII. Eodem anno Romæ aliud Concilium habitum fuit, si credimus actis, quæ sub Sylvestri nomine prostant, & quidem eodem Constantino autore. Verba ex actis istis ita se habent: *In ipsis exordiis Christianorum, cùm ad fidem converteretur Imperator Constantinus, mater sua Helena Augusta ad eum cum duodecim scribis & Pharisais ac Magistris & principibus Iudeorum in Urbem Romanam venit, & ipsa unà cum filio suo Constantino Augusto, Concilium Judeos cum Christianis facere censuerunt. In quo presidens sanctus Papa Silvester cum plurimis sanctissimis Episcopis, in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem tam per sacram Scripturam, quam per miracula Domino protegente vittores effecti sunt.* Sed Silvestri illa acta fabulis & mendaciis referata, & prorsus falsa ac fictitia esse eruditè docet Johannes Dallæus de vero usupatrum cap. 3. quod nec diffitet omnino Baronius ad ann. CCCXV, n. 12. & 13. quanquam ipsam hanc de Christianorum & Judæorum colloquio relationem non ausit prorsus in dubium vocare. Et sic igitur ejusdem tive Concilii sive Colloquii autor fuerit Constantinus.

XIV. Majorem fidem meretur, quod de celeberrimo Concilio Nicæno uno ore referunt Ecclesiastice historiæ Scriptores, convocatum id tuisse ab eodem Imperatore Constantino. Sic enim Eusebius lib. 3. de vit. Constantini c. 6. Mox velut divinam quandam phalangem adversus eum instruens, generalem Synodus convocavit honorificis literis Episcopos undiq. invitans, ut quantocvns adessent. Nec verò simplex ac nuda erat iussio, sed præterea multum ad hoc opus contulit Imperatoris benignitas. Qui aliis quidem cursus publici copiam præbuit, aliis vero jumentorum usum abunde subministravit. Sic etiam Socrates lib. 8. c. 8. Imperator universalem Synodus congregavit, omnes undeq; Episcopos per literas invitans, ut Nicæam Bityniæ convenienter. Et sic quoque Sozomenus lib. 1. c. 17. Imperator Synodum convocavit apud Nicæam, urbem Bityniæ & ad omnes ubiq. Ecclesiarum Antissites scriptis, ut præstituto die adessent. Imperator ipse in literis suis ad Catholicam Alexandrinorum Ecclesiam apud Eusebium lib. 1. c. 9. hæc de se verba facit: *Conveni in Urbem Nicæam quamplurimos Episcopos.* Et Episcopi Nicæe congregati in epistolâ Synodali ad Ecclesias Alexandrinam & reliquas per Aegyptum, Libyam, ac Pentapolim constitutas ibid. Quandoquidem DEO optimo Maximo, eiq. Charissimo Principe Constantino, nos ex diversis civitatibus ac provinciis congregante sacra & magna Synodus Nicæe celebrata est Sc. Quæ verba

verba omnia tam clara sunt, ut non patientur interpretationem aliam, nisi quam ipsa eorum structura subministrat. Fuit autem concilium istud omnium, quotquot unquam fuerunt, nobilissimum, & ex diversis terrarum partibus, atque universo Orbe congregatum.

XV. Post habitam Nicenam Synodum anno XXII. hoc est, anno Domini CCCXLVII. congregata fuit è variis orientis & occidentis provinciis Synodus alia in Urbe Sardicensi, quam & ipsam μεράλην σύνοδον vocat Athanasius apol. 2. At cum in eâ fuit de restitutione Pauli Constantopolitan & Athanasii Alexandrini, quos Ecclesiis & cathedris suis dejeerant Ariani. Ut autem coire ea posset, impetrandum id fuit ab Imperatoribus Constantio & Constante, qui cum rerum potiebantur. Testis est Socrates lib. 2. c. 20. Paulus, inquit, *¶ Athanasius aliud concilium convocari posulat. Indicitur ergo iterum generale concilium apud Sardicam, quæ Urbs est Illyrici, idq; de sententiâ duorum Imperatorum, quorum alter hoc per literas flagitaverat; alter vero, Orientis scil. Imperator, libenter annuerat.* Ad eundem modum scribit Sozomenus lib. 3. c. 11. Athanasius ac Paulus Constantem adeuntes, Synodum fieri flagitarunt. Ex communi consensu utriusq; Imperatoris placuit, ut tam Orientis quam Occidentis partium Episcopi constituto die Sardicam convenirent, quæ urbs est Illyrici. Et Theodoritus lib. 2. c. 4. His literis adductus Constantius Orientis atque Occidentis Episcopos jussit Sardicam convenire. Et Episcopi ibidem congregati in epistolâ Synodica apud eundem Theodorit. c. 8. Itaque opitulante DEI gratiâ ipsi quoq; DEO charissimi Principes nos ex diversis provinciis & civitatibus congregarunt, & sanctum hanc Synodum in Urbe Sardicensi celebrari permisérunt. Athanasius ipse apol. 2. in pr. Quod cum rescutum esset ab religiosissimis Imperatoribus Constantio & Constante, jussi sunt Episcopi Orientis & Occidentis Sardim convenire &c. Ut adeò dubium non sit, etiam hanc Synodum jussu & mandato Imperatorum coactam fuisse.

XVI. Sardicensem Synodum immediate quasi secuta est Sirmiensis, quam & ipsam in causâ Photini autoritate Constantii Imperatoris congregatam scribit Socrates lib. 2. c. 29. Imperator Synodum Episcoporum in Urbe Sirmio fieri jussit. Et cap. 30. Igitur constituto ad eam rem die ex ipsius quoque Imperatoris sententiâ convenienti cum Episcopi, qui illic aderant, cum Senatoriis Ordinis baud pauci, quos Imperator disputationi interesse praeceperat. Nec alter Sozomenus lib. 4. c. 6. Imperator non mediocriter indignatus est, Qui cum eo tempore Sirmii moraretur, Episcoporum Synodum congregavit. Et porro: Hosius ab Imperatore ad Synodum vocatus est. Et iterum: Itaq; cum ad constitutum diem convenienti Episcopi, præsidentibus ex Imperatoris mandato judicibus, qui & doctrinâ & dignitate in palatio præcellere videbantur, partes disputandi contra Photinum suscepit Basilius Episcopus Ancyra &c. Ita & Castidorus

dorus in bistor. *Tripartit.* lib. 5. cap. 6. Tumultus *surgente jussit Imperator Concilium in Sirmio congregari.* Sirmiense hoc Concilium habitum fuit anno Domini CCCLVII, ut ostendit Jacobus Gothofredus ad *Philostorgii lib. 4. c. 3. & ad l. 14. C. Theod. de Episcop.*

XVII. Sub idem tempus, cum ubique terrarum vires & incrementa acciperet haeresis Arianorum atque illi Athanasio valde infensi essent, duabus ante Sirmiense annis Mediolani convenerunt amplius trecenti Episcopi Occidentis, ut etiam ab his de causa Athanasii disceptaretur. Convenierunt autem iussu Imperatoris ejusdem Constantii, ut testatur Sozomenus d. l. 4. c. 8. Simul sperans (Constantius) posse Orientis atq; Occidentis Episcopos in unam eandemq; de fide sententiam perducere, Synodus in Italiam fieri jussit. Et Socrates l. 2. c. 36. Siquidem Imperator preceperat, ut in Urbe Mediolano Episcoporum Synodus haberetur. Etsi vero autoritas Imperatoris Concilio huic non defuerit, eventus tamen docuit, synodum istam factiōnem fuisse & violentam grassationem & Synagogam malignantium, ut eam Hilarius vocavit, ubi Arrianis omnia concessa, Catholicis denegata omnia, suppressaque eorum in dicendo libertas. Et Ecclesiae tamen hoc valde vietur proficuum fuisse, quod inter concertationes solutum fuerit concilium istud, ut legitur apud Socratem d.l. Nihilominus tamen exceptis opipido paucis reliqui omnes Athanasium condemnarunt.

XVIII. Constantius, ut eo magis odiosum redderet Athanasium & qui cum eo faciebant, siusque Arrianos ne desereret, anno Domini CCCLIX, duas simul synodos indixit. De quibus haec sunt verba Socratis lib. 2. c. 37. Quod ubi comperit Imperator, illos quidem in exilium ablegavit: generale vero Concilium convocare statuit, ut cunctis Orientis Episcopis ad Orientis partes accerfisis, universos, si fieri posset, ad unius fidei concordiam adduceret. Sed cum ei Italia cogitanti difficultatem afferret itineris longitudo, duas in partes concilium dividi jussit. Et eos quidem, qui tum aderant, apud Urbem Italie Ariminum congregari mandavit: Episcopos autem Orientis, Nicomedia, que civitas est Bitynie, colligi datis ad eos literis praecepit &c. Similia recenset Sozomenus, nisi quod pro Nicomediā civitate Seleuciam substituat lib. 4. cap. 17. Recepit omnino, ut ostendit Jacobus Gothofredus ad *Philostorg. lib. 4. cap. 10.* Quid in ista Synodo actum fuerit, scire nostra nunc nihil refert. Sufficit nosse, eam ab Imperatore Constantio congregatam fuisse. Cum vero in Synodo Seleuciensi acerbæ dissensiones exortæ fuissent, eodem illo anno novam in Urbe Constantinopolitanā synodum indixit Constantius, jussis omnibus eo convenire; ut refert post alios Philostorgius lib. 4. cap. 12.

XIX. Anno Christi CCC LXIV. cum circa doctrinam fidei magna adhuc ubique esset contentio, neque conciliari inter se possent tot diverse homi-

hominum sententiæ, cæpérunt nonnulli Episcopi de novo Concilio ab Imperatore, qui tūm temporis Valentinianus erat, impetrando cogitare. Illi verò quā ratione preces suas adornaverint, & quid eis ab Imperatore responsum fuerit, hunc in modum recenset Sozomenus lib. 6. cap. 7. Porrò cūm relicta Constantinopoli Romam contendens per Thraciam iter faceret, Episcopi Hellefponii ac Bithyniæ & reliqui, qui filium patri consubstantialem esse asserebant, Hypatianum Heracleæ Perinthi Episcopum elegérunt, qui suscepta pro ipsis legatione ab Imperatore peteret, ut ad corrigendam fidei doctrinam convenire permetterentur. Qui cum Imperatorem adiisset, & Episcoporum mādata exposuisset, Valentinianus ita respondit: nibi quidem in Laicorum ordine constituto, fas non est bujusmodi negotia curiosiis scrutari. Sacerdotes verò, quibus id cura est, seorsim, ubi cunq; voluerint, convenient. Hæc cūm Imperator ad Hypatiani legationem respondisset, Episcopi Lampsacum convenient &c. Utrum Ariani aut Semi Ariani fuerint Episcopi illi, qui Concilium hoc flagitabant, nihil omnino facit ad rem præsentem. Convenérunt enim in hoc utriusque tūm Catholicī tūm Ariani, non haberi debere Synodum sine prælitu, consensu aut permisu Imperatoris. Nec enim ex responsione Imperatoris diversum quid confidere licet. Removet ille à se scrupulosas quæstionum curiosarum enodationes; non inde tamen sequitur, Imperatorem à se duxisse alienum, ut Synodum indicaret, cūm è contrario disertis verbis ejus cogendæ Episcopis gratiam faciat. Vid. Petrus de Marca *de concord. Sacerd.* & *Imp. lib. 2. c. 6. n. 2.* Et sic, quod Lampsaci coactum fuit concilium, ipsum etiam autoritate Imperatoris subnixum fuit.

XX. Gratianus, Successor Valentiniani, eodem hoc jure usus est. Cūm enim is Sirmium venisset, accesserant eum ex Arianiis Episcopis duo, Palladius scilicet, & Secundianus, dumque improbè secum agi à Catholicis quietarentur, impudenter nimis atque iteratis precibus generale ab eo flagitaverant Concilium, & impetraverant tandem. Id verò cūm intellexisset Ambrosius, probrosum esse atque indignum asseruit propter duos curiosos hæreticos, totius Catholicī Orbis Episcopos magno Ecclesiarum detimento convocare, fecitque hāc suā sententiā, ut Imperator comprovinciales tantūm Italæ Episcopos Aquilejam convocaret, cum reliquis autem externarum provinciarum Episcopis eā uteretur modestiā, ut neminem cogeret, sed cujusque arbitrio relinquere adventum, venientes tamen, ut publicis deducerentur expensis, præcipere, Orientalibus etiam per præfectum Italæ significaret, ut, si veller, conveniendi liberam potestatem haberent. Hæc ita ex actis ejus Synodi refert Cardinalis Baronius *ad annum CCC XXL. num. 19.* & *CCC XXCI. num. 81.* Ipse Palladius in conflitu aliquoties exprobrat Ambrosio, quod sub & obreptitiè impetraverit hoc ab Imperatore, ut plenum concilium non esset, uti videre licet in actis

Rrrr

apud

apud Severinum Binium tom. 1. Concil. p. 519. 521. Quotquot igitur Aquilejæ convenerunt Episcopi, quod contigit anno CCC XXCI. autoritate Gratiani Imperatoris congregati fuérunt. Idque profitetur Ambrosius in actis ejus Concilii: Nos in Occidentis partibus constituti convenimus ad Aquilejensum civitatem, juxta Imperatoris præceptum. Et ipsi tūm congregati Patres in epistolâ Synodicâ ad Imperatores: Gratias agimus vobis, clementissimi Principes, quod & fidei nostræ studium probavistis, qui ad removendas altercationes congregare studiis sacerdotale Concilium.

XXI. Antequam Aquileensis hæc in Occidente à Gratiano indiceretur Synodus, ipso eodem hoc anno haud paulo celebrior Constantinopolis congregata fuit, à mense scil. Majo ad VII. id. Julias, cùm Aquileensis mense demum Septembri celebraretur. Constantinopolitanum autem hoc Concilium, quod vulgo secundum Oecumenicum dicitur à Theodosio Seniore indicatum fuisse, testis est Socrates lib. 5. c. 8. verbis: Post hec Imperator nihil cunctatus suæ fidei Episcoporum Concilium convocat. Testis Sozomenus lib. 6. c. 7. item Theodoritus lib. 5. c. 6. & Nicephorus lib. 12. c. 10. Testes ipsi in Concilio congregati Episcopi, qui in epistola Synodicâ ad Theodosium Imperatorem ita scribunt: Agenies autem DEO gratias, necessaria quoque ea, que acta sunt in sancto concilio, ad tuam referimus pietatem, nempe quod ex quo tempore ex mandato tuae pietatis Constantinopolis convenimus, &c. Obiter addo, epistolam Synodalem, quæ legitur apud Theodoretum lib. 5. c. 9. non esse hujus Concilii Constantinopolitanum, sed alterius alicuius post Synodum Aquileensem congregati, ipsius tamen Theodosii iussu. Sic enim se habent verba: Conveneramus enim Constantinopolin, juxta literas reverentiae vestrae, superiore anno post Aquilejense Concilium ad piissimum Imperatorem Theodosium missas ad banc solam profectiōnem instructi Constantinopolin usque &c. Scriperant scil. Episcopi Italiæ ad Theodosium, debere Nectarium, qui deposito Maximo Episcopus erat ordinatus, loco cedere, aut Romæ Concilium generale haberi, & rogaverant, ut faceret Episcopos Orientis etiam eo concurrere. Ipsum verò illud etiam Romæ congregatum Concilium autoritate Imperatoria coiisse testis est Hieronymus epist. 27. ad Euseb. Cumque Orientis & Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiastarum dissensiones Romanam Imperiales literæ contraxiscent, &c.

XII. Gratiano occiso, cùm Maximus Tyrannus ejus imperium ferre per quinquennium obtineret, Siricius Episcopus Romanus eum de Agratio quoddam indignè ad presbyteratus gradum promoto interpellaverat. Respondit Tyrannus, coacturum se Synodum, in quâ causa ea judicari posset. Ceterum, inquit, de Agratio, quem indebet ad presbyteri gradum consenserisse commemoras, quid Religioni nostræ Catholicæ possum prestatre reverentiis, quam

quam ut de hoc ipso, cuiusmodi esse videatur, Catholici judicent Sacerdotes? Quorum conventum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque provincias commorantur, in qua elegerint Urbe, constituam, ut iisdem residentibus & cognoscentibus, quid habeat consuetudo, quid legis sit, jucetur. Epistola extat tom. 1. Concil. pag. 535. apud Binium, & apud Baronium sub anno CCC XXCVII. n. 65, ut & apud Sirmondum, tom. 1. Concil. Gall. pag. 25. Imperatoris scil. partes cum suscepisset Maximus etiam, has ad se pertinere credidit, ut antecessorum suorum exemplo Concilium indicere posset. Num verò hæc ejus resolutio & responsum effectum habuerit, & Concilium ab eo deinceps aliquod eam in rem indictum, an verò hic ejus conatus morte interceptus fuerit, non constat. Burdegalensem Synodus ab eo convocatam fuisse refert Sulpitius Severus lib. 2. sacr. hist. sed in causâ Priscillianistarum. Putat tamen Petrus de Lalande in Suppl. Concil. Gall. pag. 12. speciale aliquod propter Agricili causam in quâdam Galliarum Urbe anno CCC XXCVI. habitum fuisse & jussu Maximi Tyranni coiisse Concilium. Quod suo loco relinquo.

XXIII. Ab eo tempore multa alia Concilia particularia habita fuerunt, quæ omnia quâ autoritate coacta fuerint, curiosum nimis esset singulatim inquirere. Ad potiora magis & celebriora respiciendum nobis est, quippe quæ majorem autoritatem exigunt, cum ad particularia aliqua, quæ paucorum Episcoporum fuerunt, non nisi permisso tacita sufficere potuerit. Pergimus igitur ad Concilium Ephesinum, quod generale tertium vulgo dicitur. Id verò à Theodosio juniore indictum & ejus autoritate anno Christi CCCC XXXI. celebratum fuisse, ipsius Imperatoris ad Cyriillum epistola, quæ extat in actis ejus Concilii tom. 1. cap. 25. luculenter docet. Verba inter alia hæc sunt: *Sæpen numero jam ante ob ea, que subinde accidunt, religiosam sanctissimorum Episcoporum undequaque, in unum coactorum Synodum necessariam judicavimus. Hac enus tamen, ne eorum pietati molestiam exhiberemus, cunctatores hæc in re fuimus.* At nunc verò tam Ecclesiasticarum, quamque hisce coherent, publicarum rerum controversia, eam usq. adeò utilē ac necessariam declarat, ut refutari nullo modo queat. Quam ob rem --- tua pietas DEO benè propitio operam dabit, ut sacro sancto paschate, quam in foribus arget, elapsa sub sacra Pentecostes diem ad Ephesiorum, Asiae civitatem, accurrit, nonnullosq; quos nimirum idoneos judicabit, sanctissimos provinciæ suæ Episcopos simul eodem secum adducat. Eos verò qui ad communem Synodum venire, detrectaverint, suspicionem malæ conscientiæ præbituros ait, nec impunè laturos talis contumaciæ reos. Omnipotè autem persuasum habemus, inquit, neminem ex piissimis DEOq; devotissimis Episcopis fore, qui simulatq; rerum Ecclesiasticarum causa, atque adeò controversiarum totius Orbis gratia nostro hoc decreto sanctissimam Synodum cogi intellexerit, non properè studioseque

Rrrr 2

occur-

occursus, rebusque tantoperè necessariis ac DEO usque adeò gratis pro virili  
consulturus sit. Nos quoque harum rerum curæ sedulè incumbentes nulum im-  
pune abesse sinemus. Nec ullam ille vel apud DEU M, vel apud nos quoque habi-  
turus est excusationem, qui statim impigre secundum p̄finitum tempus ad desti-  
natum locum p̄fō non fuerit. Enimverò quicunque ad Sacerdotalem Synodum  
accitus, alacriter non accurrit, is sanè conscientie parum sincera se esse ostendit &c. Hinc adeò recte scribit Evagrius Scholasticus lib. 1. h̄st. c. 3. Cy-  
rillus petiti à Theodosio, qui tunc Orientis Imperium administrabat, ut ejus man-  
dato prima Synodus Ephesi congregaretur, Imperialibus literis tūm ad Cyrilum  
ipsum, tūm ad omnes ubique sanctissimarum Ecclesiarum Episcopos missis. Igitur  
Theodosius Synodum indixit die sancte Pentecostes, &c. Et Nicephorus lib. 14.  
c. 34. Theodosius imperialibus literis suis in metropoli Epheso locorum omnium  
Episcopos convenire jussit.

XXIV. Nulla autem firmior regalis hujus Imperatorii probatio adduci  
potest, quam ex confessione ipsius Pontificis Romani, Leonis I. postquam de  
Eutychis hæresi certior factus non alia commodiore ratione supprimi eam  
posse cerneret, quam per concilium aliquod universale. Eutyches ille vel  
Eutychius Archimandrita erat Constantinopolitanus, qui, cum Nestorianæ  
hæreseos odio incensus esset, inconsideratè in aliam incidit ferre contrariam,  
& non tantum duas in Christo personas, atque id quidem recte, negavit, sed  
nec duas quidem in eo naturas afferere voluit. Hæc ejus hæretis examinata  
fuit primum Constantinopoli anno Domini CCCC XLVIII. à quibusdam  
Episcopis, qui tūm forte Constantinopoli morabantur ob quædam negotia  
Ecclesiastica, quos ἐνδημεῖται Πατρικοὶ vulgo nominabant, uti recte no-  
nat Henricus Valesius ad Evagrii lib. 1. cap. 9. Sed quæ mox secuta est Sy-  
nodus alia Constantinopolitana, jussu Imperatoris coiisse videtur, quando-  
quidem ante eam Theodosio libellum precum oblatum fuisse d. l. refert  
Evagrius. Et quæ anno sequente CCCC XLIX. habita fuit in eadem  
causa Synodus Ephesina II. ab Imperatore coactam refert Liberatus diacono  
in breviar. cap. 12. Scrpisit, inquit, Dioscorus (Alexandrinus Episcopus)  
Theodosio Imperatori, quia aliam Synodum generalem fieri oportet, & ut fieret,  
persuasit Eutyches. Annuit Imperator. Et dirigens sacram Diocoro in Alexan-  
driam, præcepit, ut cum decem metropolitanis Episcopis, quos voluisset, ipse elige-  
ret, & veniret Ephesum: & congregato universali Concilio, Eutychetis causam  
discuteret, jubens Barsumam archimandritam interesse Concilio, & vices agere  
omnium monachorum Orientales Episcopos accusantium. Theodoritum verò Cyrilum  
Episcopum adesse Concilio interdixit &c. In hoc Concilio Ephesino II resti-  
tutus fuit Eutychus, qui damnatus erat in Constantinopolitano, & vici-  
sim, qui ei adversi erant, damnati & depositi, Flavianus Constantinopolis  
& Eusebius Dorylæi Episcopi cum quibusdam aliis.

XXV. In

XXV. In hac Conciliorum dissensione & periculo Orthodoxie quid ficeret Leo Romanus? Videbat, necessarium esse, ut quam primum ex omnibus mundi partibus ad extinguendum hunc ignem convocarentur Ecclesiarum Doctores. Petebat igitur ab Imperatore, ut id fieret, & quidem verbis talibus, quae autoritativam Imperatorum in convocandis conciliis potestatem satis clare describunt. Unde, ait, epist. 9. si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostra dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis Episcopale concilium, citio, auxiliante DEO, poterunt omnia scandala, que in perturbationem totius Ecclesiae sunt commota, resecari. Sibi Pontifex suggerendi & supplicandi, Imperatori vero jubendi tribuit potestatem. Huic petitioni cum annuisset Imperator, nec tamen eundem, quem voluerat Leo, locum Concilio destinasset, secutae sunt Pontificis literae aliæ hunc in modum conceptae, sub num. 17. Quamvis ad diem Concilii Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, -- -- presentim cum tam evidens fidei causa sit, ut rationalibus causis ab indicenda synodo fuisset abstinentia; tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum studium commodavi, ut clementiae vestre statatis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis. Utraque haec literae intra unius mensis spaciū scriptae fuerunt, & ut videtur animi intentione diversa, quae inconstantiam Leonis quodammodo prodit. In priore enim necessarium duxit cogi concilium; in posteriore vero abstinentiam ab indicenda Synodo fuisse ait. Sed inconstantia ejus unica causa fuit haec, quod Theodosius Ephesi celebrari concilium volebat, non Romae, aut in Italia, ad suggestionem Pontificis.

XXVI. Non destitit tamen Leo petitionibus suis insistere, & plenarium in Italia Concilium postulare. Et ut eo facilius impetrare id posset, intercessionibus aliorum sibi utendum putavit. Et quidem primum Clerici & plebis Urbis Constantinopolitanae, quos epist. 23. hunc in modum excitat: *Et quoniam oportet vos post divinum auxilium, etiam Catholicorum Principum gratiam promereret, humiliter ac sapienter exposcite, ut petitioni nostrae, quā plenariam indici synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere.* Deinde vero Pulcheriae Augustae, quam epist. 26. orat, ut per intercessionem suam talis concilii convocationem ab Imperatore impetrare haud gravatum dignetur. *Quod ut obtinere mereamur, inquit, probatissime nobis fidei pietas tua, que labores Ecclesiae semper adjuvat, supplicationem nostram apud clementissimum principem sibi specialiter a beatissimo Petro Apostolo legatione commissa dignetur afferere.* Et has easdem preces repetit epist. 35. Tandem etiam Valentiniiani Imperatoris Occidentis, ejusque Uxorius Eudoxia, uti memorat Liberatus d. c. 12. Valentinianum autem Imperatorem, & Eudoxiam Uxorem ejus, ad memoriam B. Petri, cum multis Episcoporum gestibus provolutus, Romanus Pontifex deprecatus est, ut Imperatorem Theodosium

Rrrr 3

borta-

hortarentur aliam fieri synodum, ad retractandum illa, que à Diocoro male acta atq; perpetrata fuerant &c. Sed & ipsum Imperatorem denuò aggressus est Leo, epist. 24. & quidem verbis valde supplicibus & lumen cum submissione conceptis, quibus variè præmisitis sic tandem concludit: *Cui Sacramen-*  
*to quia impie nunc à paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ec-*  
*clesiæ, omnes mansuetudini vestre cum gemitibus & lacrymis supplicant Sacerdo-*  
*tes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Fla-*  
*vianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari &c.*  
 Utque annueret tandem Theodosius huic sive petitioni, duos Episcopos itemque duos presbyteros ad eum misit, qui confessionem fidei in Occidental Ecclesiâ probatam offerrent, eum in finem, ut aut subscriberet eidem Constantinopolitanus antistes, & ad hoc ab Imperatore adigeretur, aut novum aliquod intra Italiam concilium universale indicaretur, uti legitur epist. 33. Ubique supplicantis partes sustinet Pontifex, nullas jubentis, quod scil. tūm temporis ignota adhuc esset, quæ postea sese exseruit, monarchia visibilis Ecclesiastica.

XXVII. Sed quod tām enixè à Theodosio juniore flagitavit Leo, impetrare ab eo non potuit. Postquam verò Theodosio defuncto, Martianus rerum potitus fuit, iteratò non Pulcheriam tantum, sed ipsum etiam Imperatorem precibus suis fatigare continuavit Leo, qui tandem ut haberetur synodus exorari se passus est, non quidem in Italiâ, uti optaverat Leo, sed Nicææ in Bithynia. Sed cum locus iste sibiipsi, dum præsens esse cuperet, parum commodus videretur, alium postea locum elegit, Chalcedonem nempe. Sed nec consentire voluit Martianus in dilationem Concilii, quam in tempus magis opportunum fieri debere contenderat Leo, uti patet ex ejus epistola 43. 44. 49. 50. 51. sed tempus à se præstitutum, non obstantibus illis, quæ objecerat Leo, distictè observari voluit. Adeò liberas ubiq; manus in conventibus istiusmodi indicendis tūm temporis habebant Imperatores. Et sic anno CCCCLI. celebrata est jussu Martiani Imperatoris Synodus Oecumenica quarta Calchedonensis. Idque constat insuper ex ipius Marciani constitutione, quæ habetur in l. 4. C. de summ. Trin. tūm & ex præfatione, quæ Concilii istius actioni primæ præmittitur.

XXVIII. Ex dictis constat, à primis Christianæ Reip. initiis non solum particularia aliqua, sed ipsa etiam, quæ toto terrarum Orbe celeberrima semper fuérunt, universalia quatuor Concilia ab Imperatoribus convocata fuisse. Cùm ad Justinianum rerum summa devoluta esset, ipse quoque eandem insistens viam anno Domini DLIII. simile Concilium aliud Constantinopoli congregari voluit, ut ve sui hujus facti rationem redderet, primâ mox sessione scripto explicavit, quæ antecessorum suorum in convocandis synodis Oecumenicis, & nunc sua esset potestas. Semper, inquit,

studium

studium fuit orthodoxis & piis Imperatoribus Patribus nostris, pro tempore exortas heres per congregationem, religiosissimorum Episcoporum amputare, & regia fide sincere prædicata in pace sanctam DEI Ecclesiam custodire. Quapropter & Constantinus pia recordationis Ario blasphemante -- congregavit Nicæa ex diversis diœcesis trecentos decem & octo sanctos Patres. -- Sed & Theodosius senior pia recordationis, Macedonio negante deitatem sancti Spiritus -- congregatis in Regiâ Urbe centum quinquaginta sancti Patribus fecit rectam prædicare fidem. -- Iterum Nestorio impio blasphemante Theodosius junior pia recordationis congregavit priorem Ephesinam sanctam synodum. -- Et post hæc iterum, cum Eutyches demens emerisset, -- pia recordationis Marcianus congregavit Chalcedone sanctos patres, -- & ad concordiam omnes perduxit. Post aliquam multa, quibus de tribus capitulis suo tempore in controversiam vocatis contentiones partium exponit, ait tandem: Quoniam verò & post condemnationem à vobis factam in eisdem ipsis permanent quidam, eadem impia tria capitula vindicantes, idè vocavimus vos ad regiam Urbem, bortantes communiter convenientes, quam habetis pro his voluntatem iterum manifestare. Coiit igitur Constantinopolitanum istud Concilium indicente & jubente Imperatore Justiniano.

XXIX. Idem Justinianus novell. 137. c. 4. non dubitavit sibi assertere potestatem præscribendi, quoties & quando haberi debeant synodi provinciales, quæ celebrari ferè desierant. Constitutum nempe erat can. 37. Apostolico, & repetitum canone 5. Concilii Nicæni, ut synodi provinciales episcoporum bis in anno celebrarentur. Verum tempore Concilii Chalcedonensis id observatum amplius non fuisse, ex ejus concilii canone 19. patet. Quo ipso cautum denuò fuit, ut rem desvetam restituerent deinceps Episcopi, & provinciales synodos in posterum diligenter celebrarent. Sed constitutione hæc suâ nihil omnino profecerunt, ut ex allegata novellâ patet. Justinianus igitur post annum octogesimum restitutos vult pristinos mores, sed ita, ut semel tantum quotannis mense vel Junio, vel Septembri, habeatur Synodus provincialis. Sed & addit, quibus de causis disceptari in tali Synodo debeat. Jubet nempe motas lites & interpellationes vel pro fide, vel canonice questionibus, vel administratione rerum Ecclesiasticarum, vel de Episcopis & presbyteris, vel diaconis aut aliis clericis, vel de abbatibus aut monachis, vel de accusatâ vitâ, vel de aliarum rerum correctione, moveri quidem & agitari, & convenienter examinari, & eorum correctionem secundum sacros canones procedere, & secundum nostras leges. Atque sic etiam particularia concilia vel generali vel speciali Principes autoritate nitebantur.

XXX. Creditum scilicet illis temporibus fuit, & rectè quidem, non posse, nec debere Episcopos sine mandato, iussu, aut prædictu, aut permissione saltem Imperatorum, synodum aliquam celebrare. Ideoque quoties opus

opus erat conventu suo vel ad fidei dogmata defendenda, vel ad disciplinam Ecclesiasticam firmandam, vel ad lites dirimendas, toties ipsi precibus Principes interpellabant, ut liceret sibi in synodo congregatis per communia suffragia causas istiusmodi examinare, & quod visum fuerit vel omnibus, vel plerisque per decretum definire. Aliquando tamen sufficiebat generalis iusso aut concesio, qualis est illa, quam à Justiniano editam dixi, aliquando etiam permisso tantum, ita ut nihilominus principi maneret jus coitiones istas & conventus inhibendi aut abrumpendi pro re natâ. Nec fuit tûm temporis quisquam, qui de isto principum jure dubitaret, aut alteri alicui assertum iret. Notabilis est expositatio Hieronymi apol. 2. *adv. Ruffinum*: Responde queso, synodus à quâ excommunicatus est, in quâ Urbe fuit? *Dic Episcorum vocabula*: profer sententias subscriptionum, vel diversitatem vel consonantiam: *Doce, qui eo anno Consules fuérunt, quis Imperator hanc synodum iussit congregari*.

XXXI. Post ætatem Justiniani continuavit ista apud ipsos Pontifices Romanos sententia. Gregorius enim Magnus in confinibus seculi sexti & septimi cùm extirpare vellet pravam, quæ circa ordinationes in Regnis Burgundiaæ & Austrasiaæ invaluerat, consuetudinem, primùm ipsos compellat Episcopos Syagrium, Betherium, Virgilium & Desiderium in Galliis consistentes, lib. 7. epist. 112. ut de Synodo habenda solliciti esse velint. *De his itaq;*, inquit, quæ superiùs dicta sunt, fraternitatem vestram, auctore DEO, volumus Synodum congregare, atq; in eâ reverendissimo fratre nostro Syagrio Coepiscopo & dilectissimo filio nostro Cyriaco abate medianibus, omnia damnentur. Quia vero sine præscitu & autoritate potestatis Regalis synodus convocari non poterat, adeundam sibi putavit Gregorius simul Brunichildam Regum tûm temporis imperantium aviam, quam epist. 115. his verbis exoratam cupit: *Salutantes excellentiam vestram paterno affectu petimus, ut de his pravitatis emendatione DEUM vobis placabilem faciatis. Et ut nullâ deinceps valeat occasione committi, synodum fieri, iusso vestra constitutat.* Ipsos verò Reges Theodoricum & Theodebertum epist. 116. his compellat precibus: *Proinde paterno salutantes affectu petimus, præcellentissimi filii, ut hoc tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere. -- Qua de re ut magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre, synodum congregari precipite.* Cumque difficiles adhuc essent Reges in synodo indi- cendâ, monuit Gregorius lib. 9. epist. 49. Virgilium Episcopum Arela- tensem; *ut synodus ad eruendam ipsam heresin congregari possit, insiste.* Et epist. 50. Aetherium Episcopum Galliæ: *Itaq; assidue instanterq; ad congregandam synodum imminete.* Quomodo autem? preçando scil. supplicando, in- stando apud Reges. Quos ipse etiam Gregorius denuò rogat epist. 53. § 4. his verbis: *Iteratâ vos pro vestra magna mercede adhortatione pulsamus,* ut

ut congregari Synodum jubeatis. Et porro: itaq; excellentia vestra DEI nostri mandatis inherens, studium ad congregandam Synodum pro suâ mercede adhibere dignetur. In eandem sententiam scripsit etiam Clotario Regi epist. 55. & Brunichildæ Reginæ epist. 57.

XXXII. Possent eam in rem exempla colligi multo plura, ne tamen excrescat nimium hæc tractatiuncula, unicum adhuc addam de Concilio Francofurensi, quod exeunte seculo octavo, anno Domini DCCXCIV. congregatum fuit. De eo sic referunt Episcopi ibidem consistentes in libello ad provincias Gallicæ & Hispaniarum, specialiter ad Eliptandum Episcopum Toletanum: Clementissimi ac tranquillissimi glorioq; Caroli, Regis Domini terre, imperii ejus decreto per diversas provincias regni ejus ditionis subjectas, summa celeritate præcurrente, multitudo antistitum sacris obtemperando preceptis in uno collegio aggregata convenit &c. Et in aliâ epistolâ synodicâ ad Præsales Hispaniæ: Congregatis nobis in unum charitatis conventum præcipiente & presidente piissimo & glorioissimo Domino nostro Carolo Rege &c. Ipse Karolus Imp. in simili ad Eliptandum & reliquos Hispaniæ Episcopos epistolâ, ex potestate sibi competente, concilium se convocasse scribit: Ad impletionem verò bujus gaudii, fraternali cogente charitate, jussimus sanctorum patrum synodale ex omnibus undique nostræ ditionis Ecclesiis congregari concilium &c. De eo concilio sic scribit Adelmus Benedictinus seu Ademarus Monachus ad ann. DCCXCIV. Rex propter condemnandam heresin Felicianam estatis initio, quando & generalem populi sui conventum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus Regni sui provinciis convocavit. Et sic etiam annales rerum gestar. à Karolo ann. DCCXCIV.

XXXIII. Plura non addam. Sufficit enim per integra octo secula ostendisse, quis tūm temporis potestatem habuerit convocandi Synodos. Optimè Franciscus de Zabarellis summus JCTus, Archiepiscopus Florentiæ & Cardinalis, in libello de schismate Innocentii VII. & Benedicti Pontific. hanc format quæstionem: Quis habebit congregare Concilium? & respondeat, quod olim Imperator congregabat Concilium. Sic congregavit Constantinus, item Justinianus congregavit sextam Synodum. Item Synodus Nicæna facta est mediante Constantino 15. dist. c. sancta, & ibi legitur de multis aliis Conciliis, que facta sunt mediante Imperatoribus. Item Carolus Imperator constituit Concilium cum Adriano, & de pluribus aliis Imperatoribus legitur, quod Concilia congregarint. Postea constituta est, quod ad solum Romanum pontificem spectet talis congregatio 2. q. 7. c. ideo. 17. dist. cap. 1. & c. concilia &c. binc etiam. Sed enim quæ ad pontificiæ potestatis assertiōnem adducit testimonia, domestica sunt, & ex ipsius Pontificis curia nata. Primum illud, quod ex causâ 2. q. 6. (non 7. ut vitiosè annotatum est) depromptum legitur, Julium præfert autorem; sed totam ejus epि-

Ssss

stolam

stolam & tingula in eo capita sublestæ fidei & ~~conscientia~~ esse, docet David Blondellus in *Pseudo-Isidoro* pag. 476. Sed & secundum testimonium ex distinctione 17. sumptum similis esse notæ observat idem Blondellus pag. 403. Quin & Baronius ipse ad ann. CCCVII. n. 24. verba, quæ in hanc rem adduxit Gratianus & ex eo Zabarella, surreptitia & aliunde addita putat. Quod ultimo loco affertur testimonium, Gratiani est, compilatoris, cuius tanta nunquam fuit autoritas, ut tribuere aliquid potuerit Pontifici Romano, quod non habuerat ante.

XXXIV. Sed nolumus nunc pluribus vel exemplis vel testimoniorum colligendis insudare. Constat autem ex dictis arbitror, quale fuerit olim jus illud convocandi Synodos, quod hodiè Episcopale dicitur. Uti enim in aliis negotiis Ecclesiasticis usurpatione invaluit, ut potestates seculares prorsus excluderentur, & jura illis competentia vel invitis vel obdormientibus quasi, & nequicquam sentientibus eriperentur: ita etiam hoc jus perditum tandem ivisse, mirum non est. Indignum enim visum fuit monarchiam Ecclesiasticam stabilientibus, ut in fine hoc axioma potestatibus secularibus reservatum esset, ut ipsi Episcopi convenire pro lubitu non possent, sed precibus primum adoriri deberent Imperatores & Principes. Qui judicium sibi sumperant in capita Regum, nefas putabant ad Reges supplicatum ire & veniam ab eis exposcere aut licentiam in unum conveniendi multis verbis impetrare. Sic igitur hoc quoque regale sensim amisérunt Reges & Principes, & per metamorphosin quandam, ut est fluxa rerum conditio, jus Episcopale factum est, quod Imperatorium antea fuit. Sensim dixi id contigisse. Nec enim momentum temporis, quo primum mutatio hæc cœperit, consignare licet. Uti namque omnium ubique rerum principia parva sunt, suis progressibus & usu augmentur, ut ait Cicero lib. 5. de finib. cap. 21. ita hanc quoque mutationem ab exiguis initiis, & ferè ex convenientia Imperatorum profectam esse verofimile est. Sub Gregorio tamen VII. qui Hildebrandus alias dictus fuit, eam & doctrinam & praxin ad ~~deum~~ pervenisse arguit propositio, quæ inter dictatus ejus his verbis concepta legitur: *Quod nulla Synodus absq[ue] precepto ejus debet generalis vocari.*

XXXV. Sed pergendum est tandem ad alia. Ante omnia autem necesse est, ut videamus, quotuplicia sint concilia, & quæ in iis sit diversitas. Ea præcipue oritur ex diversitate graduum, quæ est inter Episcopos, quod ab Episcopis hodiè omnis Synodorum convocatio fiat. Quia igitur tripartitus est ordo Episcoporum, Patriarcharum scil. Archiepiscoporum, five Metropolitanorum & Episcoporum simpliciter ita dictorum, etiam Conciliorum tripartitus erit ordo, patriarchalia scil. five dioecesanæ provincialia, & Episcopalia, pro ratione scil. & dignitate ejus, qui Synodum con-

convocat. Patriarchalia namque à patriarchis vel primatibus ex universâ diœcesi convocantur, & ex metropolitanis diversarum provinciarum in unum convenientibus constant. Provincialia Episcopos unius provinciæ continent, & à metropolitanis sive archiepiscopis convocantur. Episcopalia vero ab uno Episcopo ex suæ civitatis aut districtus clericis co-guntur. In singulis præsidet ille, qui convocat & reliquis præpositus est: in patriarchalibus patriarcha sive primas diœceseos: in provincialibus metropolitanus, sive archiepiscopus: in Episcopalibus Episcopus. Præter ista vero tria Conciliorum genera fuérunt olim adhuc alia, Oecumenica dicta, quæ ex universo Orbe Christiano confluxerunt, & ab Imperatore tantum convocari poterant, quippe qui tūm Dominus erat plerarumque Orbis Christiani partium. Et horum quidem respectu, quæ universalia jure merito dicuntur, priora illa tria particularia sunt & topica.

XXXVI. Oecumenicum igitur Concilium nihil aliud est, quam conventus totius Orbis, non, quod omnes & singula Ecclesiæ in particulari, nedum ut omnes & singuli fideles convenisse intelligentur, id enim & impossibile erit, & concilium tale fine & effectu suo prorsus destituetur; Sed quod ex omnibus provinciis & diœcesibus Imperii, tam Orientis, quam Occidentis Episcopi præ reliquis conspicui & autoritate pollentes convernent, & eorum decreta deinceps à plerisque omnibus Ecclesiis particularibus recepta fuerint. Totius enim terrarum Orbis, quantus eo tempore habitatus erat, maxima & cultissima pars Romanis parebat. Et in hoc significatu recte ait *Lucas cap. II. v. 1.* ab Augusto Imperatore descripdam πάντας τὴν οἰκουμένην. Non male ab aliis dicitur ἡστορία Ρωμαῖοις & πλιτεῖαι Ρωμαῖαι. Quomodo Gelasius Cyzicenus in *exord. l. 1. att. Concil. Nic.* ait, Synodus Nicænam convocatam ἐν πασῶν Ρωμαῖοις κόσμῳ ἐπαρχιῶν. Et Cedrenus Oecumenica Concilia dicta scribit ideo, quod ad ea οἱ καὶ πάντας τὴν Ρωμαῖων πλιτεῖων ἀρχιερεῖς omnes, qui essent in Romano Imperio Sacerdotes convocarentur. Ethinc est, quod apud Scriptores Græcos οἰκουμένης nomine denotetur Imperium Romanum. Quâ ratione ipse etiam Imperator dicitur totius Orbis Dominus in *l. 9. ff. ad L. Rhod. de iust.*

XXXVII. Oecumenica Concilia aliquando plenaria dicuntur Augustino *l. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 3.* Forumque tantam describit autoritatem, ut reliquis omnibus potiora esse debeant. *Ipsa*, inquit, *Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias sunt, pleniorum Conciliorum autoritati, quæ sunt ex universo Orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt ipsaque plenaria, sepe priora posterioribus, cum aliquo experimento rerum, appetitu.*

Sss 2. ritu

ritur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat. Habet enim hic etiam subordinatio locum, quæ in Rep. civili attendi solet, quomodo SC tum decisioni comitiali, & hæc Imperiali cedere debet. Quanquam in hoc sit differentia, quod in Conciliis Ecclesiasticis non procedere licet auctoritate prætoria, aut nudâ suffragiorum multitudine atque pluralitate, ut in conventibus secularibus, sed quod semper respectus haberi debeat ad Scripturam sacram, quippe quæ una & sola controversiarum, quæ de fide obo- riri solent, judicis officium sustinet. Concili enim omnis, etiam sanctissimi, definitio non est prætoria, sed tantum declaratio & indicium ejus, quod DEUS judicat & jubet credere ac facere: multo minus est absoluta, qualis est, quæ soli DEO competit, cuius est præscribere fidei & vitæ nor- mam, ita ut nulli fas sit, aliter credere aut agere.

XXXVIII. Talia Concilia Oecumenica, quæ ab omnibus aprobata haec tenus sunt, quorumque magna semper auctoritas in omni Ecclesia fuit, quatuor tantum sunt, quæ intra unius seculi spacium & quod excurrit, celebrata fuerunt: Nicænum scil. I. anno Domini CCCXXV. Constantopolitanum I. anno CCCXC. Ephesinum I. anno CCCCXXXI. & Chalcedonense anno CCCCLI. Addunt quidem Græci alia tria, Constantinopolitanum II. Constantinopolitanum III. & Nicenum II. ut videre licet apud Photium Patriarcham Constantinopolitanum in epistola, quam scripsit ad Michaelem Bulgarie principem, pag. 3. Totidemque recentef etiam ex synopsi Ecclesiæ Græcæ Rittershusius noster ad Novellas Justiniani part. I. c. 2. Aliqui addunt octavum, Constantinopolitanum nempe IV. Anton. Augustinus de emendat. Gratiani lib. I. dial. 8. circa fin. Adhuc alii nonum sub Andronico Palæologo & Johanne filio ejus adversus Barlaam & Acondynum habitum, ut notat Guilielmus Beveregius in prolegom. ad Synodic. Greco. p. 5. Sed illa ab omnibus nondum fuerunt agnita aut recepta, præfertim cum de Nicæni II. Conciliis auctoritate multa adhuc sit disputatio, quippe quod nec septimum nec universale dici debere decreatum fuerit in Synodo Francofurtensi. Et certè præter nomen usurpatum nihil id habet Concilio Episcopali dignum.

XXXIX. Prima vero illa quatuor concilia tantæ semper auctoratiæ fuerunt, ut posterioribus leges præscriptæ videantur, à quibus discede re illis haudquam liceat. Idcirco Isidorus, cum recensuerit eadem apud Gratianum c. canones dist. 15. mox addit: Hæ sunt quatuor Synodi principales, fideli naturam plenissimè predicantes. Sed et si qua sunt alia Concilia, quæ sancti Patres Spiritu DEI pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritates omni manent stabilita vigore &c. Et Gelasius dist. ead. c. sancta. Sed et si qua sunt Concilia à sanctis patribus haec tenus instituta post istorum quatuor auctoritatem etiam custo dienda

dienda & recipienda decernimus. Quæ verba cùm adduxisset Hincmarus Remensis in opusculo 55. capitulorum adversus Hincmarum Laudunensem c. 25. ita ea ἀπέγραψε: Si qua sunt autem Concilia à sanctis patribus instituta, post quatuor Conciliorum autoritatem custodienda & observanda decrevit; verbis scil. iisdem, ut clarum inde evadat, Hincmari adhuc ætate quatuor ista concilia prævaluisse, & reliqua omnia cedere illis debuisse. Sic & ante eum Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis lib. advers. leg. Gundobadi c. 12. Neque hoc idcirco dicitur, ut passim omnium Episcopaliū conventuum sanctiones æquali autoritate recipienda credantur, ut Nicæni, Chalcedonensi & ceterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum vel receptorum. Nihilominus tamen Augustinus Maximinum Arrianorum Episcopum cap. 14. his verbis compellat: Nec ego Nicenum tibi, nec tu debes Ariminense mibi tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus non quorumcunque propriis sed utriq. communibus testibus res cum re, ratio cum ratione concertet. Ideo scil. quod multo inferior sit Conciliorum quantorumcunque quam Scripturæ autoritas, & quod nec recipi debeant Conciliorum decreta, nisi sint Scripturæ & fidei revelatae conformia.

XL. Plusquam igitur hyperbolicum est elogium, quod quatuor illis conciliis tribuit Gregorius lib. 1. epist. 24. relatum Gratiano c. sicut dist. 15. hic verbis: Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere & venerari me fateor. Non enim consistunt in pari gradu Evangelia & quatuor illa concilia. Quatuor enim Evangelis credimus, ut Geom. v. 24 propter semet ipsa; Conciliorum vero decretis non æquæ, nisi ea quæ credenda proponuntur, ex Scripturâ S. probari possint. Ratio est, quia quæ in Scripturâ S. dicuntur, à nullâ aliâ revelatione dependent, quæ autem in Conciliis definiuntur, dependent à revelatione superiori. Etsi igitur in Conciliorum decretis & Episcoporum scriptis eadem inventur veritas, quæ in sacrâ Scripturâ, quoad materiam, longè tamen impar est autoritas, nec coæquari ea scripturis sacris ullo modo possunt. Idq; agnoscit Bellarminus, dum lib. 2. de concil. c. 32. ad dictum istud Gregorii notat, adverbium illud sicut similitudinem innuerit, non æqualitatem. Sed & ante Gregorium Justinianus Imperator ad eundem modum loquitur novell. 131. cap. 1. Τὸν γὰρ περιεργηθεῖσαν αὐτὸν τοιόδων τὰ δόγματα κατάπειρ τὰς Γένες χριστὰς δεχόμενα. Prædictarum enim quatuor synodorum dogmatas sicut sanctas Scripturas accipimus.

XLI. Cæterum Oecumenicum ejusmodi Concilium sperari amplius haud potest, tûm quod Ecclesiæ, quæ Christi nomen profitentur, valde divisa & sejunctæ sint, tûm quod ipsa etiam imperia secularia secreta plene sint, & discepta quasi, atque separata ab invicem, ita ut per-

petuâ fere hostilitate inter se collidantur. Unus olim Imperator coire faciebat & convocabat tûm ex Oriente tûm ex Occidente Episcopos. Sed quis hodiè eos convocabit? Nec enim si dixeris, fieri id debere à Pontifice Romano, auscultantem habebis Ecclesiam Græcam, quæ multo latius patet, quam Latina, uti observavit Petrus Bellonius lib. 1. Obs. c. 35. In Occidente verò tot hodiè sunt Imperia, quot Reges, quorum unusquisque *αυτονόμης* est & independens, ita ut nullus eorum in alterum quicquam Imperii habeat. Sed & Ecclesiæ Occidentales ita scissæ atque divisiæ sunt, ut uniri se nullo modo patientur, neque religioni consultum videatur, si qua earum *αυτονόμεια* affectare & reliquis leges præscribere velit.

XLII. Proxima ab Oecumenicis Conciliis sunt patriarchalia, quæ ita dicuntur, quod conflentur ex iis, qui ordinationem suscipiunt à patriarcha. Sic enim ea describit Justinianus novell. 137. c. 4. ubi ait, *convenire debere apud beatissimos patriarchas illos, qui ab ipsis ordinati sunt, & qui habent jus alios Episcopos ordinandi.* Ultima enim verba non negativæ, ut vulgariter fieri solet, sed affirmatiæ legenda esse ex Photii Nomocan. tit. 8. cap. 8. docet illustris Marca de Concord. Sacerd. & Imp. lib. 1. c. 7. n. 3. Consimilimodo jubet idem Justinianus novell. 123. cap. 10. unumquemque beatum archiepiscopum & patriarcham & metropolitam sanctissimos Episcopos sub se constitutos in eadem provinciâ ad se convokeare. Conventus verò iste apud Patriarcham fieri aliquando solebat quotannis, ita tamen, ut pro re nata, sicuti graviora emergerint negotia, extra ordinem quandoque congregantur Synodi tales, quibus intererant Metropolitani & aliquot Episcopia provincialibus synodis, de quibus postea dicendi erit locus, electi. Poterat igitur unusquisque Patriarcha ex metropolitanis suis, quos ordinare solebat, synodum confidere; & de rebus ad universam diœcesin pertinentibus, sed & aliis quibusque accuratiorem disquisitionem exigentibus decreta condere. Id verò jus patriarchale quâ ratione Episcopo Constantinopolitano comparatum fuerit, quasi in compendio dixi lib. 1. cap. 7. quæ plenius exposuit Petrus de Marca *speciali dissertatione de Constantinopolitani patriarchatus institutione.*

XLIII. Patriarchalibus his conciliis conformia sunt diœcesiana, quæ in Occidentali præcipue Ecclesiâ celebrata fuérunt, convocata scil. & congregata à primatibus, sive primis diœceseos Episcopis, quorum quæ fuerit dignitas & conditio, abunde expositum est supra lib. 1. c. 11. Conformia ea esse ajo Conciliis patriarchalibus, tûm quod ipsi etiam primates aliquando dicti fuérunt patriarchæ, uti itidem exposui lib. 1. cap. 5. & testatur Innocentius III. epist. ad Trinovitan. Archiepisc. quæ invenitur in ejus gestis pag. 60. Fraternitatem tuam scire volentes, quod apud nos hac duo nomina, Primas

Primas & patriarcha, penè penitus idem sonant, cùm patriarche & primates teneant unam formam, licet eorum nomina sint diversa. Itemque Nicolaus Papa in epist. ad Rodalpum Bituricensem Archiepiscopum, apud Gratianum c. conqueslus 9. q. 3. tūm verò quia concilia patriarchalia nonnunquam dioecesana appellantur, uti in actis Concilii Ephesini mentio sit synodi dioecesos Orientalis, & alibi Synodi ex dioecesi Aegyptiacâ Alexandriæ congregatæ. Notum autem est, Patriarcham Alexandrinum convocasse Synodum dioecesos Aegyptiacæ, id est, Synodum sui Patriarchatûs ; & patriarcham Antiochenum convocasse dioecesin Orientalem h. e. patriarchatum Orientis.

XLIV. Dioecesana igitur concilia sunt Synodi Episcoporum, quas è multis provinciis sibi subiectis patriarcha, vel primas, vel exarchus dioecesos congregat. Primas enim dioecesos, & patriarcha dioecesos, & exarchus dioecesos omnino idem sunt. Primas dioecesis quilibet etiam patriarcha dicebatur: & quicunq; patriarcha dictus est, etiam primas fuit dioecesos. Idem erat & de exarcho dioecesos apud Græcos. Omnes ἔξαρχοι διοικήσεων etiam πατριάρχαι nomen usurabant: omnes verò πατριάρχαι etiam ἔξαρχοι διοικήσεων erant ac dicebantur. Hinc ἔξαρχος τῆς διοικήσεως & πατριάρχης τῆς διοικήσεως eundem denotant, & eundem etiam apud Latinos primas dioecesis & patriarcha dioecesos, uti id colligere licet ex actis Concilii Chalcedonensis, tūm & ex can. 9. § 17. ejusdem, itemque ex Justiniani Novell. 123. c. 22. & locis aliis pasim. Dioecesis autem vocabulum in tali constructione significat tractum diversarum provinciarum in unum corpus compactarum, uti etiam in seculari regimine accipiebatur. Sic igitur in orientalibus dioecesibus, quarum quinque erant, totidem colligi poterant Synodi dioecesanæ. Aegyptiaca scil. ab Alexandrino Episcopo, Orientalis ab Antiocheno, Asiana ab Ephesino, Pontica à Cæsareensi, Thracica olim ab Heracleensi, postea ab Episcopo Constantinopolitano. Sic & in Occidente Concilia Romana ex dioecesi Urbis Romæ, Aquilejensia ex dioecesi Italizæ, Gallicana ex dioecesi Galliarum, Britannica ex dioecesi Britanniæ, Toletana ex dioecesi Hispaniarum, & Africana sive Carthaginensia ex dioecesi Africæ cogebantur. Quæ ipsa interdum etiam nationalia dicebantur, quod unus integræ nationis Episcopi in unum convenirent. Et tales in Occidente Synodi dioecesanæ vel autoritate & jussu Regum congregabantur, vel mutuo consensu Regum autoritate concurrente, uti in primis ex historiâ Conciliorum Toletanorum constat.

XLV. Dioecesanae hujusmodi Synodi μείζονες dicuntur, in Concilio Antiocheno can. 12. Δέον Πάτερ μείζονας σύνοδον τρέπεται, oportet ad maiorem synodum converti. Et in can. 6. Constantinopolitani Concilii I.

'Ei

Ει δέ συμβατη αδινατησι τούς επαρχιατούς περισσότερον των Ιπποφρεδίουν ζητημάτων τῷ Πατρικῷ, περι μάνις προσέναι μετανοι σωμάτῳ τῷ τῆς θρονίσεως Πλησιόπων ἐκείνης &c. Si verò acciderit provinciales ad correctionem illorum criminum non sufficere, tunc accedant ad maiorem synodum Episcoporum illius diocesos. Hæc concilia, Africana præsertim, aliquando dicuntur plenaria, can. 94. in Cod. Can. Eccles. African. aliquando universalia, can. 10. ejusd. cod. item can. 77. 107. 108. ibid. Quomodo etiam dicecelana, quæ in Galliis habita fuerunt Concilia, dicta sunt in Concilio Matisconenfili can. fin. Et sic etiam Hispanica modo universalia, modogeneralia dicuntur in Concilio Toletano III. can. 18. Toletano IV. can. 3. Toletano V. can. 2. 3. 6. & 7. & alibi pasim. Et tale generale Concilium contradistinguitur speciali, sive provinciali in dicto can. 3. Concilii Toletani IV, qui ita habet: Si fidei causa est, aut quelibet alia Ecclesiæ communis, generalis Hispaniæ & Galliæ synodus celebretur. Si verò talis non extiterit causa, speciale erit concilium uniuscujusq; provinciæ, ubi metropolitanus elegerit, peragendum.

XLVI. Quando autem coepérint dicecelana ista & nationalia concilia, dissentient Petrus de Marca de concord. sacerd. & imp. lib. 6. cap. 16. & Jacobus Gothofredus ad l. 23. C. Theod. de Episc. Constituerat nempe Gratianus imp. in d. l. 23. ut si qua essent ex quibusdam dissensionibus levibusq; delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis & à sua diocesos synodis audirentur. Hanc legem, quæ promulgata fuit anno CCCLXXVI mirè acceptam fuisse ait Marca d. l. personis Ecclesiasticis, factumque exinde, ut in Concilio Constantinopolitano anno CCCXXCI. distribueretur Ecclesiæ corpus in dioceses. Sed negat Gothofredus per hanc constitutionem Episcopis unius diocesos concessum fuisse primum, ad exemplum judicium & Honoratorum, ut non solum in singularum provinciarum Synodis, sed etiam generali totius dioceleos synodo in unum coire jure ordinario sine mandato speciali possent, fuisse enim jam ante Gratianum synodos dioceleos in usu. Sanè ad Orientales Episcopos eorumque dioceses nullus tum fuit à Gratiano habitus respectus, quippe qui Occidentem regebat, neque ad alios nisi Episcopos Occidentis scriptam hanc constitutionem velebat, quod ex subscriptione præcipue patet, quæ Treverin civitatem memorat. Sed & propria vineta cädere quodammodo videtur Marca, dum ex constitutione Imperatoris & ex ejus concessione fabricatum fuisse canonem Concilii Constantinopolitani contendit, cum tamen alibi statuat, præcessisse canones conciliorum, secutas leges publicas, has vero neutquam antecessisse, lib. 2. de Concord. Sacerd. & imp. cap. 7. n. 8.

XLVII. Nationale istiusmodi concilium voluit Hilarus Papa in Galliis celebrari singulis annis. Sic tamen rescripsit ipse epist. 4. ad Episcopos diversarum provinciarum Galliæ: Per annos singulos ex provinciis, quibus potuerit

tuerit congregari, habeatur Episcopale concilium, ita ut opportunis locis atq; temporibus secundum dispositionem fratris & Coepiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur, ut si quid usquam vel in ordinandis Episcopis vel presbyteris, aut cuiuslibet loci clericis faciendis contra precepta Apostolica reperitur admissum, aut in eorum conversatione quippiam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur Sc.

XLVIII. Pergimus ad Concilia provincialia, quæ sunt conventus Episcoporum unius provinciæ à metropolitano coacti. Cum enim Metropolitanus sive Archiepiscopus integrum provinciam Ecclesiasticam, quæ ex pluribus Episcopatibus constat, gubernandam habeat, si Episcopi illi auctoritate & iussu ejus in unum convenient, Concilium provinciale inde conflatur. Atque hoc eti minus sit & angustioribus limitibus contineatur, quam diœcesanum, dicitur tamen & ipsum plenarium, can. 98. in cod. can. Eccles. African. & generale can. 26. Concilii Constantinopolitani IV. item perfectum propter præsentiam metropolitani, uti ita describitur can. 16. Concilii Antiocheni. Perfecta synodus illa est, cui interest & metropolitanus Episcopus. Variant nempe in usu Ecclesiastico vocabula plenarium & generale, quæ modo latius modo strictius accipiuntur, cum & genus dici soleat quandoque apud Logicos, quod in aliâ consideratione species est, pro ratione scil. & respectu superiorum & inferiorum.

XLIX. Ut concilium tale haberi posset, necesse erat, ut præcederet iussus Metropolitani, sive admonitio ejus, uti dicitur in can. 20. Concilii Antiocheni, Εποιησθαι τὰς ἐπαρχιῶν ἐν τῇ μητροπόλει, metropolitano provinciales Episcopos admonente. Sine ejus iussu autem coire haudquam poterant Episcopi subjecti, uti diserte prohibetur in dicto canone: *Nullis verò liceat per se synodos celebrare, sine iis quibus metropoles credit& sunt.* Sive uti Dionysius Exiguus vertit: *Nullis liceat apud se celebrare concilia, præter eos, quibus à Metropolitanis videntur esse jura commissa.* In Græco est: *Αὐτὸν πεπιστευθέντας μητροπόλεις.* Quod non videtur assecutus Dionysius, quanquam absurdum non sit, ab ægrotante metropolitano vices conferri alii alicui. Interim certum est, excluso metropolitano & sine ejus iussu reliquos Episcopos provinciales synodum habere non posse, uti recte colligit Johannes Zonaras ad istum canonem: *A iolis Episcopis, non addibito cujusque provincie metropolitano, synodum haberi canon vetat.*

L. Ut autem jus metropoliticum intra unius provinciæ limites subsistebat, neque extra eos quicquam validè poterat: ita etiam potestas convocandi synodos ultra istos limites non extendebat. Nec poterat igitur

Ttt

metro-

metropolitanus alterius provinciæ Episcopos ad Synodum cogere. Et ex hoc principio concepta est apud Iwonem Carnotensem epistola 236. quâ Daimbertus Senonensis Archiepiscopus cum quibusdam Episcopis alii exprobrat Johanni Lugdunensis primæ sedis Archiepiscopo, quod ad Concilium vocasset Episcopos extra provinciam suam constitutos. Jure primatus, inquit, vestri invitatis nos ad concilium apud Ansam celebrandum, in quo tractare disposeris de fide & investituris Laicorum, ad quod venire minimè contemnimus, sed terminos quos posuerunt patres nostri, terminos antiquos transgredi formidamus. Nusquam enim reverenda patrum sanxit autoritas, nusquam hoc servare consuevit antiquitas, ut prima Sedis Episcopus Episcopos extra provinciam propriam positos invitaret ad Concilium, nisi hoc aut Apostolica sedes imperaret, aut una de provincialibus Ecclesiis pro causis quas intra provinciam terminare non poterat, prima sedis audientiam appellaret &c. Ad hanc epistolam ita rescribit Johannes primæ Lugdunensis Sedis Archiepiscopus, ut & excusat factum suum, & axiomata primatus sui tueatur. epist. seq. Testem, inquit, DEUM & conscientiam nostram addibemus, nos neque extra provinciam, neque ad judicandum de illis personis fraternitatem tuam trahere voluisse, sed simpliciter, dilectionis tue præsentiam ad colloquendum & consulendum de diversis perturbationibus, quæ in Ecclesiâ DEI ortæ sunt, adsciscere studuisse: ut laborem & meritum ac præmium laboris ac meriti tecum & cum aliis religiosis viris participaremus. Siquidem cum prima Lugdunensis provincia sit, nihilominus secunda & tertia Lugdunensis provincia est. Cum ergo primæ sedis Lugdunensis Præsul pro suis aut illorum necessitatibus secundæ vel tertiae provinciæ præsules vocat, non ad alienam provinciam trahit, sed rationabiliter & justo ordine servato inferiora membra ad caput revocat, ut ei vel de adversitate condoleant, vel de prosperitate congaudeant. Nec prudentiam tuam latere credimus, quoslibet metropolitas provincialia concilia intra suos fines convocandæ jus habere. Quâ autem habitudine suffraganei ad suos metropolitas se habent, eadem metropolite ad suos primates se habere noscuntur, ut videlicet cause, que apud inferiores terminari nequeunt, apud superiores diffaniantur. Et porro: Sed & forsitan formidas, quod jura tui præsulatus annullare velimus. Nihil ad tuum sive Ecclesiæ tue jus pertinens usurpare volumus, solam obedientiam, quam metropolitanus primati suo debet à te charitatè requirimus. Obsecundare tibi, sicut charissimo fratri, & invicem obsequium tuum recipere parati sumus. -- Extra provinciam te trahere noluiimus, sed nec volumus. Credemus enim & credimus, convenientius esse, ut secundarum provincialium præsules ad primam provinciam pro causarum necessitate invitentur, quam primarum sedium Pontifices ad secundas pro quibuslibet causis trahantur provincias. Alioquin, quomodo stabit, quod in sacris canonibus cautum est, ut majores cause ad suos refe-

referantur primates? Id enim non esset causas ad primates referri, sed primates ad singularum provinciarum causam reduci. Postremò si prime sedis Pontifex ad secundam, vel tertiam, vel forte quartam provinciam progrediens, provinciam non excedit: profectò secunde vel tertie vel quartæ metropolitanus dum ad primam vocatur, ad alienam provinciam non trahitur. Nullum enim causarum forum secundarum provinciarum præsulibus convenientius est, quam sua prima provincia.

LI. Per vadere voluit Johannes Daimberto & reliquis, quorum nomine ab Ivone Epistola concepta fuerat, primam provinciam non esse à cæteris alienam, imò potius ex quatuor Lugdunensibüs unam solidam confici provinciam, nec proinde extra provinciam trahi Episcopos secundæ & tertiae Lugdunensis, si ad primam vocentur. Et hoc colore patriarchatum, qualis in Oriente obtinebat olim, sibi asserere cupiebat Johannes, sed conatu ut videtur frustraneo, quod ei semper obstaret regula, quam in epistolis suis non unis vicibus in testimonium vocat Ivo, primates vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit. Ex veteri autem instituto solum appellationis judicium eis indultum erat, si quando in provincialibus Ecclesiis causa terminari non poterat, & una de ipsis Ecclesiis ad primam sedem appellasset. Et in hoc significatum accipiendum erat, quod regesserat Johannes, maiores causas ad suos referri debere primates. Fecit verò hæc Lugdunensium Episcoporum *Φιλοπρία*, ut eorum injustis conatibus non refisteret tantum Senonensis provincia, sed etiam ab eâ Sede colendâ prorsus desisteret tandem, uti observat illustris Petrus de Marca *dissert. de primatibus*.

num. 120.  
LII. Non aliter observatum id fuit in Africâ, ubi plures erant primates provinciarum & nullus tamen eorum alterius provinciæ Episcopos convocare poterat, nisi solus, qui præter omnibus & primus Africæ primus erat, Episcopus Carthaginensis. Primates enim dicebantur omnium Africæ provinciarum metropolitani haud secus ac Carthaginensis. Dioecesis scil. Africana sex provincias habuit, Africam ipsam, Byzacenam, Numidiam, Tripolitanam, Mauritaniam Sitisensem & Mauritaniam Cæsariensem; Unaquæque suum habuit primatem. Sed quia harum provinciarum prima fuit Africa proconsularis, & ejus metropolis Carthago, factum inde ut Episcopus Carthaginensis totius Africanæ dioecesis primus & maximus esset metropolitanus, qui propterea, si in Oriente fuisset, ἡ Εαρχὴ τῆς Ἀφρικῆς διοικήσεως dici potuisset. Ut ergo, Episcopo Lugdunensi sua peculiaris erat provincia, prima Lugdunensis sic & Carthaginensi etiam sua ac propria, Africa nempe proconsularis,

Ttt 2

&amp;

& uti Lugdunensis Episcopus alterius provinciae Episcopos ordinare non poterat, sic neque Carthaginensis. Sed tamen ~~n~~ ~~ne~~ Episcopi Carthaginensis multo præstantius erat, quam vel Episcopi Lugdunensis, vel reliorum in Africâ primatum, saltem in hoc, quod omnes dioceles sive provincias sub Ecclesiastica regulâ continebat, concilia ex universâ dioecesi convocabat, iisdemque præsidebat, omnium Ecclesiarum totius dioeceseos sollicitudinem sustinebat, aliquis nonnullis privilegiis ac prærogativis pollebat. Et in hoc ipso superior erat Carthaginensis Episcopus reliquis omnibus diocelesos suae primatis provinciis, qui alterius provinciae Episcopos convocare haudquam poterant.

LIII. Tempore Augustini Synodus in Numidiâ celebrare volebat Victorinus provinciae ejus primas, convocatis non Numidiæ tantum Episcopis, sed & Mauritanarum, milia tractoria ad singulos. Quæ ubi ad Augustinum Hippensem in Numidiâ Episcopum pervenit, temperare sibi non potuit, quin ad Victorinum scriberet, & argueret, quæ sibi in tractoria istâ juri Ecclesiastico minus consentanea viderentur. Et quidem præ ceteris animadvertisit, Mauritanarum Episcopos evocatos fuisse, qui tamen suos haberent primates: *Legi*, inquit, in eadem tractoria etiam ad Mauritaniæ esse scriptum, quas provincias sumus suos habere primates. Quod si ~~S~~ ex eis ad Numidiam convocandum esset concilium, oportuit utique, ut aliquorum Maurorum Episcoporum, qui illic priores sunt, nomina in tractoria ponerentur. Epistola illa Augustini est in ordine ducentesima decima septima. Et ex eâ disci potest, in Mauritaniis plures tunc fuisse primates, & Numidiæ primati non fuisse jus, ex Mauritaniis istis Episcopos convocare, ne ex Mauritaniâ quidem Sitiensi, ut maximè ea olim Numidiæ conjuncta fuisse. Post divisionem enim paulo ante ista tempora factam nullum amplius jus competebat Primi Numidiæ in istam Mauritaniam Sitensem. Et proinde merito ab Augustino reprehenditur tractoria Victorini, quod Mauritanarum Episcopos ad Synodus suam evocasset. Sed fuit tamen ea Augustini modestia, ut corrigeret mox suam istam animadversionem, & obiter adiiceret quid fieri oportuisset, si ex Mauritaniâ ad Numidiam convocandum fuisse concilium, id interim non obscurè edisserens, unius provinciae Primatem alterius Episcopos convocare non posse.

LIV. His vero, quæ dicta hactenus sunt, minimè obstant verba canonis 14. Synodi Antiochenæ, ubi dicitur, disidente Synodo provincialmetropolitanum Episcopum alterius provinciae Episcopos convocare debere. *Pro totâ componendâ controversia placuit sanctæ synodo, ut Episcopus metrop-*

metropolitanus ē vicinā provinciā judices alios convocet, qui controversiam tollant, & quod cum provincie Episcopis probatum fuerit, confirmet. Ἀπὸ τοῦ πατρικοῦ εἰπεῖν οὐδὲ τὰς τοῦ Πατριαρχεῖτος. Quae verba accipi non possunt de majore synodo diocesanā, quippe quae à metropolitanā convocari & celebrari haud potest, neque de appellatione ad judicem aliquem superiorem; sed de amicā invitatione metropolitani, quā vicinos quosdam ex aliā provinciā Episcopos sibi & reliquis suis Episcopis provincialibus adjungit, ut dissidium, quod inter se de causā ventilata habent, simul examinent, & junctis suffragiis tollant, quos proinde τὴν αὐθικήν την διαλύει dicit canon. Nempe non possunt cogi imperativa convocatione vicini Episcopi, ut ad judicium hoc veniant, sed rogari debent, & quidem à metropolitanā, qui & processum & synodus dirigit, cùm, ut supra dixi, reliqui provinciales Episcopi sine metropolitani autoritate synodum habere nequeant, nec ut maximē velint, synodus eorum sine metropolitani præsentia perfecta dici queat. Sed nec ipsi etiam vicini Episcopi sine metropolitani invitatione præviā immiscere se possunt, uti diserte in prohibitus in Concilio Constantinopolitano I. can. 2. Non vocati autem Episcopi ultra diocesin ne tranjeant ad ordinationem vel aliquam aliam administrationem.

LV. Fieri hinc solebat, ut diversarum provinciarum metropolitani quandoque mutuis adhortationibus concilia sua provincialia jungerent, & unum indefacerent, junctisque suffragiis statuta ederent. Tale fuit Concilium Avenionense habitum anno Domini MCCC XXXVII. in quo cum suffraganeis suis convenérunt Gasbertus Arelatensis, Bertrandus Ebredunensis, & rmandus Aquensis Archiepiscopi. Neve id fraudi esset euusque eorum privilegiis & juribus, præfati sunt, celebrare se concilium provinciale, prorogatā primō jurisdictione de loco ad locum per nos Ebredunensem & aquensem Archiepiscopos nostrosq; suffraganeos presentes, nobis Gasberto Arelatensi Archiepiscopo & Jobanne Avenionense Episcopo & procuratoribus supradictis consentientibus &c. Tale etiam fuit Concilium Vavrense celebratum anno M CCCC XVIII. in quo convenérunt Archiepiscopi, Petrus Narbonensis, & Gaffredus Tholosanensis, & vicarius Archiepiscopi Auxitanensis cum suis suffraganeis, fuitque tum itidem præmissa protestatio de prorogatione jurisdictionis de loco ad locum.

LVI. Ceterū, qui ad synodum provincialem vocati erant Episcopi suffraganei, præsentes adesse oportebat, neque excusabantur, nisi propter necessitatem imbecillitatis. Quo tamen casu imbecillitatem illam per litteras allegare, sed & vicarium aliquem mittere tenebantur. Antiquissimi id testantur canones, qui & poenam quandoque addunt, suspensionis scil. ab officio aut à communione. In Concilio Laodiceno can. 40. statu-

Tttt 3

tum

tum fuit, ut Episcopis ad Synodum vocatis non liceat contemnere, sed ut teneantur abire & docere vel doceri ad correctionem Ecclesie & reliquorum. Si quis autem contempserit, seipsum accusabit, praeterquam si propter infirmitatem ire non possit. Et in Concilio Chalcedonensi can. 19. Statuit sancta synodus secundum sanctorum Patrum canones bis in anno in unum convenire uniuscujusq; provincie Episcopos, ubi metropolitanus Episcopus probaverit, & singula, que emergerint, corrigere. Qui vero non advenerint Episcopi, si in suis civitatibus resident, atq; adeo in sanitate confidunt & omni inexcusabili & necessaria occupatione liberi sunt, fraternè reprobantur. Haud paulò rigidiores fuerunt Patres Africani, quorum hoc est decretum can. 76. Placuit, ut quotiescumq; concilium congregandum est, episcopi, qui neq; etate neq; aegritudine, neq; aliqua graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant. -- Quod si non potuerint occurrere, excusationes suas in tracto id conscribant, vel si post adventum tractorie aliquæ necessitates repente forsitan ortæ fuerint, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatum reddiderint, Ecclesie sue communione debere esse contentos.

LVII. Quod ita placuit Asia & Africæ, displicere non potuit Europæ. Simili enim planè modo statutum fuit in Concilio Arelateni II. c. 18. Si quis commonitus infirmitatis causâ defuerit, personam vice sua dirigat. Et c. 19. Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam Concilium dissolvatur, crediderit deserendum, alienatum se à fratrum communione cognoscat: nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus. Repetitum id in concilio Agathensi c. 35. Si metropolitanus Episcopus ad comprovinciales Episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem summi Pontificis, aut ad Synodum invitet, postpositis omnibus, excepta gravi infirmitate corporis, aut preceptione regiæ ad constitutum diem adesse non differant. Quod si defuerint, sicut præsca canonum præcipit auctoritas, usq; ad proximam Synodum, caritate fratrum & Ecclesie communione priventur. Et in Concilio Tarragonensi c. 6. Si quis episcoporum commonitus a metropolitanu ad synodum nullâ gravi necessitate intercedente corporali venire contempserit, sicut statuta parum sanxerunt, usque ad futurum concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur.

LVIII. Quod Concilium Agathense in verbis adductis de præceptione Regiæ statuit, justè excusari, qui tales allegare queat, id in Lusitanâ similiter admisit Concilium Emeritense can. 5. sed ita ut nihilominus de causâ excusationis Concilio aliqua relinquatur cognitio. Verba hæc sunt: Quod si contigerit aliquem de fratribus retinerti ab infirmitate, qualiter non possit venire, aut per Regiam iussionem injunctum acceperit aliquid agere, ut sit, per quod non possit Concilio interessere, quicquid tale acciderit, Metropolitanu suo fideliter intimet cuncta, per suam epistolam manu sua subscriptam: ut postmodum queratur, anne

*anne excusationem faciat aliquam.* Videtur hæc limitatio ideo addita, ut temperaret quodammodo sententiam Concilii Turonensis secundi, cuius canon primus multum recedit à constitutione & decreto concilii Agathensis, nec admittere quidem vult aliquam ex præceptione Regiæ excusationem. Placuit, ita habent verba, ut semel in anno sine cuiuslibet excusatione persone, id est, regia vel privatæ, sine cuiuscunq; utilitatis obſtaculo, præter infirmitatis certissime labore preventum, nullius occasione vel aminis, habeat unusquisq; cursum; sed sicut dictum est, neq; per impedimentum Ordinationis regie, neq; sub occasione utilitatis, aut causæ proprie debeat à Concilio separari, Apostolo predicatori: *Quis nos separabit Sc. Non debet spirituali operi etiam regalis preferri preceptio, cùm primum in Ecclesia sit mandatum: Diliges Dominum tuum Sc.* Unde non debet precepto Domini persona cuiuslibet hominis anteponi, neq; debet terrene conditionis actio vel persona terrere, quos Christus pro crucis armavit.

LIX. Verba hæc diversam planè & omnino contrariam continent sententiam ab eā, quæ Concilio Agathensi placuerat. Istam autem ut temperaret Concilium Turonense II. haec tenus admisit excusationem à præceptione Regiæ petitam, si ea nec affectata fuerit, nec improbata à Concilio. Affectabant scil. tūm temporis Episcopi varias expeditiones & officia secularia, ita ut à Regibus imponi ea sibi quandoque flagitarent; sèpè etiam mentiebantur, sibi talia à Regibus commissa fuisse, ut haberent scil. quo absentiam suam à synodis provincialibus excusare possent. Quia tamen fieri poterat, ut proprio motu Rex Episcopi alicujus necessarium sibi duceret ministerium, & salutare esse id posset communi bono, noluit Concilium Emeritense tamē Episcopi excusationem prorsus rejicere, uti rejicere voluisse videtur Concilium Turonense, sed ulteriori cognitioni reservari jussit, ut postmodum queratur, inquit, *anne excusationem faciat aliquam?* Cæterquin certum est, officia secularia parum convenire personis Ecclesiasticis. Non nostrum hoc est onus, bos clitellas.

LX. Admisit verò non tantum Concilium Arelatense II. c. 18. cuius supra mentionem feci, ut Episcopus, qui venire ipse infirmitatis causā ad Concilium non poterat, legatos vice suā mitteret, sed etiam, quod anteriore tempore celebratum fuit, Concilium Arauficanum I. cap. 29. ubi gravior perstringit eos, qui synodo aut per se, aut per consensū suos, vel ad vicem sui per legatos destinandos adesse detrectant. Idem Agæcio Episcopo exprobrant Episcopi in Carpentoratenſi Synodo congregati, quod neq; ipse nec per personam vicariam adfuerit Synodo. Pari modo cùm à Synodo Agathensi absuisset Ruricius Episcopus Lemovicenſis, & excusationem per literas interpoluisset, Cæsarius Episcopus Arelatenſis ita eas acceptavit, ut nihilominus reprehenderet, quod nullum ille misisset vicarium. *Licet,* inquit, *santos & desiderabiles vestros apices miseritis, tamen, sicut ipsi optime noſtis,*

*nostris, dignissimum fuerat, ut personam dirigeretis, quæ ad vicem vestram subscriberet, & quod sancti fratres vestri statuerunt, in persona vestra firmaretur. Et ejusmodi vicariorum subscriptiones etiamnum leguntur in editionibus Conciliorum.*

LXI. Nec verò presbyteris tantum olim, sed etiam diaconis vices suorum Episcoporum sustinere licebat, quod præcipue Hispanica docent Concilia, quæ subscriptiones quorundam diaconorum exhibent. In Concilio Toletano V. in fine hæc legitur subscriptio: *Petrus in Christi nomine Decanus, agens vicem domini mei Antonii Episcopi his decretis annuens subscripti.* Non dubito legi debere: *Diaconus.* Omnipotens enim idem est ille, qui subscriptis Concilio Toletano VI. his verbis: *Wamba diaconus, qui & Petrus, Ecclesie Segobiensis, agens vicem Antonii Episcopi, subscripti.* Jungitur ei in hoc Concilio Toletano adhuc aliis: *Severinus, sancte Ecclesie Valentine Diaconus, agens vicem Musitacii Episcopi, subscripti.* In Concilio Toletano VII. subscripti erunt Ambrosius diaconus agens vicem Episcopi Mentesani: Aquila diaconus agens vicem Episcopi Bigalensis, & Matacellus diaconus Vicarius Episcopi Malacitani. In Concilio Toletano octavo subscripti erunt diaconi vicarii Episcoporum suorum numero quinque: In nono, unus: In decimo, duo: In aliis, alii, plures aut pauciores, prout Episcoporum absentium major vel minor erat numerus. Et nec olim quidem in Orientali Ecclesiâ excludebantur diaconi, qui vice & nomine suorum Episcoporum comparebant. Id quod patet ex mandato Constantii Imperatoris, cuius meminit Sozomenus lib. 4. cap. 16. Cum enim post terræ motum & ruinam Nicomedensem Nicææ concilium indixisset, disertè jussit, ut ineunte æstate ibi convenienter Episcopi, exceptis his, qui corporis infirmâ valetudine essent: ita tamen ut isti presbyteros aut diaconos suo loco mitterent, quos vellent, qui ipsorum sententiam significarent, & de rebus ambiguis consularent, simulq; omnes inter se de omnibus consentirent. Ex quo loco simul patet, presbyteros & diaconos vices Episcoporum suorum agentes, eorum nomine etiam suffragia tulisse; & collatis sententiis ad decreta facienda concurrisse. Idque de presbyteris ulterius confirmat tractoria epistola Aviti Episcopi Vienensis, quæ Episcopos Regni Burgundionum vocat ad Synodum Epaonensem: *Duos, inquit, presbyteros magne ac probabilis vite mandati instructione firmatos, fratribus pro se presentare procuret, sed tales dignetur eligere, quos Episcoporum Concilio non minus scientia quam reverentia jure faciat interessere, cum quibus delectet summos Pontifices conferre sermonem, quos ad diffinitiones pro Episcopo suo sanciendas, subscribendas que, cum fuerit solertia eligi, sit autoritas legi.*

LXII. Quæ verò diaconis ita aliquandiu competit erat autoritas, in ipsâ Hispaniâ per concilium Emeritense denegata eis deinceps fuit. Non aliam

aliam ejus decreti allegare licebit causam, nisi insignem Episcoporum & presbyterorum arrogantiam quæ tūm temporis in nervum erupit, & pudori duxit, ad fidere sibi diaconos ordine multo inferiores. Neque id dissimulant Patres Emeritenſes, sed aperto ore fatentur, violari dignitatē suam, sicubi suffragatores admiserint diaconos, et si Episcoporum suorum autoritate munitos. Hæc sunt eorum verba cap. 5. Injustum enim hoc accipit cœtus noster, ut quisquam Episcoporum diaconum ad suam personam dirigat. Hic enim, quia presbyteris junior esse videtur, sedere cum Episcopis in Concilio nullā ratione permittitur. Quemcunque ergo ex presbyteris dirigere elegerit, instrumentum per informationem dirigat, ut ratio poscit Sc. Presbyteros igitur admittendos adhuc putant, sed, ut videtur, non adeò promptè, cum eos, et si Episcoporum suorum legatos & vicarios, sibi ad fidere nolint, sed veluti ministros à tergo suo capere subsellia jubeant. Ad suam tamen personam, verba hæc sunt immedieate antecedentia, non aliter nisi aut Archipresbyterum suum diriget, aut si Archipresbytero impossibilitas fuerit, presbyterum utilem, cuius dignitas cum prudentia pateat, à tergo Episcoporum inter presbyteros sedere, & queque in eo Concilio fuerint, acta scire & subscribere. Diaconi autem non exclusi tantum & privati fuérunt jure suffragii, quod habuissent olim in Conciliis probavi tr. de diaconis cap. 9. num. 5. seq. Sed etiam jure sedendi, quippe qui non alium in finem admittebantur deinceps, nisi ut starent, veluti κωφὰ ωροντα, & observarent Episcopos suos. In veteri descriptione celebrandi Concilii, quam Decreto Gratiani subiunxit Antonius Contius, hæc habentur verba: Post ingressum omnium Episcoporum atque confessum vocentur deinde presbyteri, quos causa probaverit introire; nullus se inter eos ingerat diaconorum. Postea ingrediuntur diacones probabiles. quos ordo poposcit interesse, & corond facta de sedibus Episcoporum presbyteri à tergo eorum residebunt, quos tamen sessueros secum metropolitamus elegerit. (Verba hæc ostendunt, nec promiscue omnes admissos fuisse presbyteros, nec dignos eos judicatos omnes, qui federent) Qui utique & cum eo judicare aliquid & definire possunt. Diacones in conspectu Episcoporum stabunt Sc. Quæ eadem verba referuntur in Concilii Tole-  
tani IV. c. 3.

LXIII. Quod invitationem ipsam metropolitani ad concilium tale suum provinciale attinet, jam diu observarunt Ecclesiasticarum antiquitatum periti, usurpatas in eam rem fuisse certas epistolas, quæ tractoriae dicebantur, quibus Concilium à primate aut Archiepiscopo intimabatur, & Episcopi ad Synodum vocabantur. Nec tamen ad singulos Episcopos singulæ aut singulares istiusmodi literæ scribebantur, verum omnium & singulorum nomina, quæ ad concilium vocabantur, unâ tractoriâ comprehendebantur, servato ordinationis cujusque tempore. Quin & huic tra-

uuuu

ctoriæ

ctoriae ipsi Episcopi ad concilium vocati, si venire non possent, suas excusationes subcribebant, uti ex canone Africano 76. & aliis testimonis docet Jacobus Gothofredus ad l. i. C. Theod. de tractor. Et stativ. Est vero & hoc insuper notandum, ad solos Episcopos missas fuisse ejusmodi tractorias, presbyteros vero & diaconos speciatim invitatos fuisse nullos, multo minus seculares aut Laicos, sed in arbitrio tamen fuisse Episcoporum, quos secum adducere vellent. Constat hoc ex Concilio Tarragonensis can. 13. cuius haec sunt verba: *Epistole tales per fratres à metropolitanis sunt dirigende, ut non solum è cathedralis Ecclesie presbyteris, verum etiam de diecestanis ad concilium trabant, & aliquos de filiis Ecclesie secularibus secum adducere debeant.*

LXIV. Sed quod dixi de una tractoria omnium Episcoporum nomina comprehendente, non videtur fuisse perpetuum, aut mutatum saltem, si quando specialis metropolitani ad unum Episcoporum addenda fuit commonitio. In Concilio Duziacensi I. in quo Hincmarus Episcopus Laudunensis Episcopali gradu dejectus est, resert Hincmarus Remensis ejus Metropolitanus, qua ratione eum ad Synodum evocaverit. Et in indiculo, inquit, quo ad hanc Synodum eum vocavi, sicut & ceteros provincie Remorum Episcopos, illi superaddidi: *Sciat etiam tua fraternitas, eos, qui adversum te anno præterito apud me querelas suas deposituerunt, & de quibus in Synodo fuisse apud Attiniacum impetus, quoniam, quæ conventa ibi fuerant, non es regulariter prosecutus, nunc iterum suas querelas deponere.* Unde moneo fraternitatem tuam, ut ita inde præcogitatus & preparatus ad denuntiatam Synodum venias, quatenus querimonie inæcentes Episcopo sopiantur, ne nomen bonum, quod Apostolica regula jubet habere Episcopum, in tua opinione notetur, & sicut idem dicit Apostolus non vituperetur ministerium nostrum. Hæc admonitio sine dubio seorsim in speciali aut singulari indiculo, uti vocat Hincmarus, sive epistolâ scripta fuit. Ad quid enim opus fuisse solenni hæc ejus recitatione in concilio, si ex tractoria generali omnibus Episcopis jam ante cognita fuisse? Quam omnino nihil autem humanitate hæc suâ profecerit Hincmarus, ex ejusdem Concilii actis constat. Speciales ejusmodi tractorias quandoque in usu fuisse, intelligi potest etiam ex verbis Concilii Constantinopolitani IV. can. 17. ubi agitur de Metropolitanis ad concilia patriarchalia vocatis, & concluditur, subjacere eos vocationibus proprii Patriarchæ, sive cum communiter, sive cùm singulatim factæ fuerint.

LXV. De tempore habendorum Conciliorum provincialium diversa extant decreta Ecclesiastica, quæ compilationi sive sub distinctione 18. inferioruit Gratianus. In Concilio Nicæno can. 5. statutum fuit, ut singulis annis in unâquaque provinciâ bis in anno Synodi fierent, -- una quidem ante quadragesimam, ut omnibus animi cordibus sublatis, purum DEO munus offeratur, secun-

*secunda autem circiter autumni tempus.* Idem ut bis fiat , decrevit etiam Concilium Chalcedonense c. 19. non additâ tamen temporis determinatione, quæ verò tacitè comprehensa videtur sub generali definitione, quâ decernit convenire debere Episcopos secundum sanctorum Patrum canones. Eundem numerum binarium inculcat Concilium Antiochenum can. 20. sed sub aliâ temporis specialis determinatione. *Visum est*, inquit, *ut synodi Episcoporum in undquâq; provinciâ bis in anno fiant: semel quidem post tertiam hebdomadæ festi paschæ, ut quarto hebdomade pentecostes perficiatur Synodus;* secundam verò *Synodum idibus Octobris futuram*, qui est decimus byperberet. &c. Diversimode ita cum statuerint Patres in Conciliis Nicæno & Antiocheno, & utrumque hoc Concilium Chalcedonensi antiquius fuerit, dubitare merito licet , quale tempus comprobatum sit patribus Chalcedonensibus, præsertim quia cum Antiocheno facit canon, qui dicitur Apostolicus, trigesimus septimus, si quidem aliqua ei tribuitur autoritas. Et quidem ex consonantiâ illâ ad canonem istum commentatur Johannes Zonaras , visum fuisse aliquibus , in descriptione canonum pro Quinquagesimâ per oblivionem in canone Nicæno transcriptum fuisse, Quadragesimam. Sed ea causa , inquit , quam Nicænus canon adducit, neminem patitur hoc arbitrari, dicens, una quidem ante Quadragesimam, ut omni sublatâ similitate donum sancte offeratur DEO. De temporibus igitur sic dissentunt. Duos attamen locales conventus unoquoque anno fieri constituant. &c.

**LXVI.** Videntur igitur Patres Chalcedonenses in numero binario decernendo sanctorum Patrum canones observare, & in hoc acquiescere voluisse, tempus ipsum, quo celebrari Synodi istae deberent, arbitrio metropolitani relinquentes. Cùm enim tempora illa à Nicenâ & Antiochenâ Synodis præscripta non omnibus ubique opportuna & satis commoda essent, & proptera negligeretur sàpè celebratio Synodorum, sufficere putavit Concilium Chalcedonense, unicè id emendare, & ad pristinam consuetudinem revocare, ut quotannis duæ deinceps haberentur Synodi à metropolitanis, quocunque tempore libuerit. Postquam verò ne sic quidem restitui collapsa in hoc genere disciplina Ecclesiastica posset, & negligenteriores adhuc essent metropolitani nonnulli in convocandis Synodis, constitutionem edidit Justinianus Imp. novell. 137. c. 4. ut deinceps una saltem in quâvis provinciâ haberetur Synodus, & quidem certo tempore, ut eo fortius adstringerentur metropolitani. *Nos autem*, inquit, *invenientes*, *quod ex hismodi negligentiâ multi diversis peccatis impliciti sunt*, *jubemus omnibus modis unam Synodum fieri singulis provinciis mense vel Junio vel Septembri &c.* Non abrogat Justinianus pristina Ecclesiæ placita, sed

binas adhuc comprobat Synodos quotannis habendas, uti patet ex novellā  
123 c. 10. quia tamen obtineri id difficulter potuit, unam saltem, in quāvis  
provinciā celebrari voluit, idque omnibus modis, *mētē rēpōne*, omni stu-  
dio & conatu observari jussit.

LXVII. Hanc Justiniani constitutionem sequitur & imitatur canon  
octavus Synodi Quinisextae in Trullo habitæ, his verbis: *Canonem reno-  
vamus, qui jubet singulis annis uniuscujusque provinciæ Episcoporum Synodos  
fieri, ubi Metropolitanus Episcopus satius esse duxerit.* Quoniam autem propter  
aliquas barbarorum incursiones & quasdam alias incidentes causas non pos-  
sunt qui Ecclesiæ præsident synodos bis in anno facere, visum est, ut omni-  
nō semel in anno propter Ecclesiasticas questiones, ut verisimile est, emergen-  
tes, predictorum Episcoporum in unaquaque provinciâ fiat synodus à Sante  
paschæ festo & ad Octobris mensis complementum singulis annis in loco, quem,  
ut prædictum est, Metropolitanus Episcopus aptiorem judicaverit &c. Ad  
eundem modum synodos suas provinciales celebrari jussit Africa, Gal-  
lia, Hispania, uti ex plurimis Conciliorum decretis constat, quæ ta-  
men hic singula adducere nihil nunc attinet. Idque approbavit suo  
tempore Gregorius M. lib. 7. epist. 112. Et quidem, inquit, quid de haben-  
do bis in anno concilio patrum sit regulis statutum, non latet. Sed ne forte aliqua  
impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen in anno sine excusatione aliqua  
decernimus congregari, ut expectatione Conciliinibil pravum, nihil presumatur  
illicitum &c.

LXVIII. Uti verò obtineri vix potuit, ut semel saltem in anno  
tale aliquod concilium haberetur: ita vix ullum dari poterit exem-  
plum, quo superatum fuisse numerum binarium doceri queat. Imò ve-  
rò, si quid tale attentatum aliquando à Metropolitanô quocunque fuis-  
set, credo ego refragantes eum habiturum fuisse suos suffraganeos. De  
nationali synodo certum est, improbatum fuisse Iveni Carnotensis confi-  
lium Lugdunensis Archiepiscopi Legati Apostolici, quod intra unius anni  
spacium tertiam vice concilium nationale congregari voluerit. Consultus  
enim è de re à Rege Francorum, respondet epist. 56. De eo, quod parvi-  
tati meæ mandavit vestra sublimitas, post duo concilia hoc anno à domino  
Papa celebrata, nunc legatum ejus Lugdunensem Archiepiscopum infra eun-  
dem annum tertium generale convocare & ad hoc regni vestri Episcopos  
invitare, Serenitati vestre respondeo, quia cum super literas ejus habuerim,  
nihil tale ibi legi, vel à missô ejus audivi. Quod tamen si faceret, non esset  
hæc Apostolica institutio, vel Ecclesiastica consuetudo. Quod si quis eos ultra  
terminos à patribus constitutos angariare voluerit, vos habito cum eis  
communi consilio injustis oppressionibus pro persona vestra resistite, sic ut  
que DEI sunt, DEO reddant, & que Cæsarî sunt, Cæsari reddere  
pon

non omittant. Quæ verba Iovonis cum recitasset Cardinalis Baronius ad ann. 1095. n. 53. hanc addit Πίνερων: Vides quantum obsint Ecclesiæ indiscreti ministri, cum precipiant interdum absq; consilio dura, quæ præstari vix possint.

LXIX. Sufficiant hæc de tempore & numero conciliorum provinciæ. Sequitur, ut videamus de materiâ, quæ habilis esset, ut super eâ disceptationes haberentur in talibus Conciliis. Eam describit ex parte canon quintus Concilii Nicæni, & canon vigesimus Concilii Antiocheni, qui ultimus in genere definit, haberi debere ejusmodi concilia 21οι ταῦτα ληπτασινας γένεσις, καὶ ταῦτα ἀμφισβητουμένα διαλύσαι, propter usus Ecclesiasticos, & pro dirimendis controversias. Justinianus novell. 137. cap. 4. idèo ea haberi vult, ut emergentes cause excutiantur & competentem accipiant correctionem. Ibidem loci speciatim enumerat rerum tractandarum genera. Quo in loco, inquit, motas lites & interpellationes vel pro fide vel canonicis questionibus, vel administratione rerum Ecclesiasticarum, vel de Episcopis & presbyteris, vel diaconis aut aliis clericis, vel de abbatibus vel monachis, vel de accusata vitâ, vel de altiarum rerum correptione, moveri quidem & agitari & convenienter examinari, & eorum correctionem secundum sacros canones procedere, & secundum nostras leges. Idem Justinianus novell. 123. cap. 10. ait, debere congregatos Episcopos omnes causas subtiliter examinare, quas Episcopi aut Clerici aut Monachi ad invicem habeant, easque disponere, & super hoc, quicquid extra regulas à quâcunque personâ delinquitur, emendare.

LXX. Sed quod ait Justinianus etiam quæstiones pro fide in synodis provincialibus agitari, in eo non convenit cum Gratiano, qui id simpliciter negat in principio distinct. 18. Episcoporum, inquit, concilia sunt invalida ad diffiniendum & ad constituendam, non autem ad corrigitendum. Sunt enim necessaria Episcoporum concilia ad correctionem & ad exhortationem &c. Hanc Gratiani censuram redarguit Glossa his verbis: Illud non est verum, quia Episcopi bene possunt condere canones Episcopales, & Archiepiscopus provinciales, quia quilibet populus & quilibet Ecclesia sibi potest statuere aliquod jus, sed de majoribus negotiis non possunt aliquid statuere &c. Recepit omnino, cùm inventata superiorum seculorum praxis satis offendat, à quamplurimis conciliis conditos fuisse canones, quibus non parere religio erat, dum tamen contrarii non essent canonibus Conciliorum generalium. Hinc vero nata est distinctio, quod regulæ Ecclesiasticae aliæ unius duntaxat Ecclesiæ conditæ sint, aliæ ad universalem Ecclesiam spectent. Et ratione objecti, quod aliae pertineant ad fidem, quæ dogmata est ἀλητικῶσι, appellantur, aliæ vero ad mores & disciplinam Ecclesiasticam, quæ speciali canonum nomine designantur, quanquam canonis vocabulum utrique speciei sèpè applicari

soleat. Sequioribus temporibus regulæ istæ non canones amplius sed capitula dici solebant, quod notum est.

LXXI. Et si verò potestas Synodorum in duobus his præcipue versetur, ut vel fidei dogmata explicent, & puritati suæ atque Orthodoxia restituant, vel disciplinam Ecclesiasticam custodianatque conservent, circa utrumque tamen hoc objectum non habent se eodem modo aut æquali profusa ratione. Ultimus enim judex controversiarum de fide exortarum est scriptura sacra, & ab hoc judge etiam Concilia suam habent autoritatem, dependentem scilicet & eatenus æstimandam, quatenus ab hoc judge decisiones sibi suppeditatas recipiunt & tuentur. Et ratio est, quia in Conciliis non revelatur ulla nova decisio divina ante non existens in sacro Codice, sed fertur tantum sententia de sensu revelationis jam ante de tali quæstione factæ, & in Codice sacro jam contentæ. Ideoque concilium non dat suæ definitioni autoritatem, sed definitionem suam eruit & probat, ac ostendit, unde nam illa suam habeat autoritatem. Et proinde potestas hæc restrita omnino & alligata est ad Scripturæ divinæ conformitatem, ut nec latum unguem ab eâ discedere valeat. Haud paulo liberior est altera illa, quam in aliis causis extra fidem, id est, in capitibus disciplinæ non in facto solum sed etiam in jure versantibus occupatam dixi. Potest enim ea circa ritus praxim & disciplinam Ecclesiasticam judicare, definire, statuere etiam præter scripturam sacram, prout scilicet status cuiusque Ecclesiæ exigit, eo quod variare hic poscit, canon autem doctrinæ mutari non queat. Interim cavendum nihilominus, ne canones illi ad disciplinam externam pertinentes vel sacræ Scripturæ repugnant, vel superstitionem habeant admixtam, vel laqueum conscientiis injiciant, vel numero plures sint, aut exercitio graviores, quam ut facile observari possent, vel denique per eos Ecclesiæ præcidatur libertas mutandi, addendi, demendi, prout Oeconomia cuiusque postulabit.

LXXII. Descendo nunc ad Concilia Episcopalia, quæ Episcopus in suâ diœcesi singulis annis convocat, dum inter suos Abbates, presbyteros & clericos cognoscit. c. pen. dist. 18. Abbates enim comparere in istiusmodi synodis tenentur, uti definit Concilium Aurelianense l. can. 19. etiæ exempti fuerint ab Episcopali jurisdictione, prout ita observari debere tradidit Innocentius III. lib. 3. epist. 4. ratione scil. Ecclesiarum, quæ Episcopo manent subjectæ, quomodo etiam monachus, qui Ecclesiam parochiale sine curatam habet, ad Synodum Episcopalem venire tenetur, uti decretum legitur in Concilio Moguntiaco anno DCCCXLVII. can. 14. Ecclesiæ enim quorumcunque monachorum in singulis parochiis sitæ Episcoporum subjectæ sunt regimini, secundum decretum concilii apud Confluentiam apud Ivonem part. 3. cap. 280. Atque ideo nihil facit exemptione monasterii

nasterii ad immunitatem comparendi in Synodo, quia scil. ab exemptione monasterii nullatenus fluit exemptio paroeciarum ad istud monasterium pertinentium. Et propterea debent paroeciani Sacerdotes ab Episcopo institui, illiq; rationem villicationis suæ reddere, sive visitationis tempore, sive in synodo ab illo indicata.

LXXIII. Hac tamen in specie duplice adhuc sumi vocabulum Synodi optimè notat antiquitatis Ecclesiastice peritisimus Stephanus Baluzius ad Reginonis Abbatis Prumiensis lib. 2. de ecle. discipl. cap. 1. Aliquando enim denotat illum conventum, quem Episcopus in civitate suâ instituit, quoties scil. convocat presbyteros ex rusticis paroecis diocesos suæ, ut illi ministerii sui rationem reddant. Aliquando vero denotat conventum parochianorum cum Episcopo, quem scil. Episcopus vel ejus ministri habuerunt in unâquaque Ecclesia, cum visitationis munus obibant, in qua similiter presbyteros rationem ministerii sui reddere oportebat, & in qua judicabantur causæ synodales aliae. Prior illa distinctionis gratia Episcopalis sive civitatensis posterior hæc parochialis dici posset. Prior illa apud Episcopum habebatur in civitate, ubi cathedralm habebat, & ad eam conveniebant, quotquot in diocesi illius Episcopi ecclesias parochiales regabant; hæc vero in Ecclesiis parochialibus ipsis habebantur, neque ad eam conveniebant alii, nisi cum Episcopo Archidiaconi & Archipresbyteri, qui præire solebant uno vel duobus diebus, & una plebes istius parochiæ, non tantum ut testimonium illa ferret de vita & conversatione presbyterorum & reliquorum clericorum suorum, sed etiam ut ipsa de se suâque vendi ratione interrogata responderet. Sed de posteriori hæc pleniùs & commodius agetur capite aliquo sequente.

LXXIV. De priore vero specie accipiendum, quod dicitur in Capitulari Tholosano Caroli Calvi Regis cap. ult. ut Episcopi Synodos a presbyteris, nisi sicut docet auctoritas canonum, duas scilicet, & per tempora constituta non exigant. Sed & in eisdem Synodis non per occasionem, sed per veritatem ministerii sui, teste DEO, ad quod constituti sunt, presbyteros & tractent & teneant, & absolvant. Videntur tum temporis Episcopi haud paulo elatioris animi fuisse & vexasse suos presbyteros non crebrioribus tantum Synodis, sed aliis etiam oneribus impositis, uti jam ætate Hieronymi despiceret eos & nullo ferè loco numerare cœperunt. Huic corruptelæ capitulare istud Tholosanum obviam ire voluit, statuitque ne quid amplius tale ab Episcopis fiat, sed ut illi presbyteros suos temperate & scienter tractent, utve DEUM sibi præsentem agnoscant. Ut autem Episcopis Synodos quotannis plures duabus celebrare non licet: ita presbyteri, si vocati fuerint, comparere omnino teneantur. Eoque pertinet admonitio Karoli Magni ad presbyteros, quæ adjuncta legitur Capitulari quarto imperii anno promulgato,

ubi

ubi constituit, ut nullus presbyter ad Synodum contemnat venire. Quod si aliter facere presumat scrit, conditum veniat, & secundum canones judicetur.

LXXV. In ejusmodi Synodis variæ agitabantur causæ, quæ propterea synodales dicebantur. Potissimum vero examinabantur ea, quæ ad cuiuscunq[ue] mores & conversationem pertinebant, & num officio suo unusquisque debito ordine fungeretur. Nec dubium mihi est, sapientiam orthodoxam in discussionem venisse, si quis forte aliena & parum consona veritati divinæ docuisset, saltem eum in finem, ut si emendari per correctionem non posset, quæ interim tentari solebat, tota ea causa ad judicium majus, h. e. synodum provinciale referretur. Cæteroquin, quæ ad officium cuiusque pertinebant, illa omnia, num ad præscriptas regulas expedirentur, in disquisitionem vocabantur. Sic enim à sanctis patribus institutum est, ut quando ad Concilium venerint, rationem Episcopo reddant, qualiter suscepimus officium vel baptismum celebrent. Sunt verba Concilii Arelatensis VI. c. 4. Et sic etiam lib. 7. Capitularium cap. 108. constitutum est, ut unusquisque presbyter per singulos annos Episcopo suo rationem ministerii suu redat, tam de fide catholicâ, quam de baptismo, atque de omni ordine ministerii sūt. Quæ verba probant id, quod modo dixi, etiam de fide & orthodoxia cuiusque reddendam fuisse rationem, et si dogmata ipsa eorumque veritas propriè in eum censum non referrentur, ut de illis in Synodo tali disceptare licuisset. Sed & in tali synodo publicare oportebat ea, quæ in Concilio provinciali decreta fuerant. Idque ostendunt verba Concilii Toletani XVI. c. 7. quæ Gratianus in fin. dist. 18. seu potius Antonius Contius perperam Concilio Toletano III. tribuit: Decernimus, ut dum in quilibet provincia Concilium agitur, unusquisque Episcoporum admonitionibus suis infra sex mensias spatiū omnes abbates, presbyteros, diaconos atque Clericos seu etiam omnem conventum civitatis ipsius, ubi praesēdē dignoscitur, nec non Secundum dicēsis sue plebem aggregare nequaquam moretur, quatenus coram eis publice omnia reserata, de his quæ eodem anno in concilio acta vel definita extiterint, plenissimè notiores efficiantur &c. Quæ verba ostendunt etiam plebem ad ejusmodi synodos vocari debuisse.

LXXVI. Sed verò promulgatio hæc decretorum in Conciliis provincialibus factorum cum ipsis illis conciliis provincialibus desit. Iohannes Zonaræ querela est ad c. 37. Apostolicum: Nunc autem harum synodorum (provincialium) magnus est ubiq[ue] contemptus. Et ad Canonem Nicenum 5. Nostris temporibus tota hec synodorum ratio eousque negligitur, ut nusquam celebrentur. Rationem ejus rei, cur ita in desuetudinem abierint synodi provinciales, non male dicit illustrissimus Petrus de Marca de concordia jacerd. & imp. lib. 6. cap. 15. petendam esse ex frequenti celebratione Conciliorum patriarchalium, quæ & ipsa singulis annis congregare moris erat. Impe-

dimento enim erant illa, quo minus haberi possent synodi provinciales. Observatum id fuit in Concilio Constantinopolitano IV. quod octavum Oecumenicum quibusdam dici solet, & statutum idcirco tūm temporis fuit, ut si concursus esset synodi patriarchalis & provincialis, provincialis conventus negligi deberet. Et ex hoc negligentius deinceps haberi coepērunt, tandem etiam prorsus defierunt Synodi provinciales. Hæc sunt verba canonis 17. *Consueverunt autem Metropolitani bis in anno synodos facere, ideoq; sicut dicunt, ad patriarchale penitus non posse concurrere caput. Sed sancta hæc & universalis synodus nec concilia, que à Metropolitanis sunt interdicens, multo magis illa novit rationabiliora esse ac utiliora Metropolitanorum conciliis, que à patriarchali sede congregantur, & idcirco fieri exigit. A Metropolitanis quippe unius provinciæ efficitur, à Patriarcha vero sèpè totius causæ dicæ eos dispensatur, ac per hoc communis utilitas providetur. Propter quod & speciale propter generale bonum desifici convenit, cùm à majoribus super hoc facta fuerit advocatione: quamvis apud quosdam Metropolitanorum antiqua consuetudo & Canonica traditio per contemptum ipsorum postposita videatur, non currentibus eis ad communem profectum. Quos leges Ecclesiæ severè condemnantes omni excusatione semotâ, subjacere vocationibus proprii Patriarchæ, sive cùm communiter, sive cùm singulatim factæ fuerint, exigunt. Poenas has ut evitarent Metropolitani, maluerunt deinceps prorsus abstinere à provincialibus suis conventibus, quanquam utrisque synodis, si commodè indicæ fuissent, præsentes adesse haud difficulter potuerint.*

LXXVII. Hanc eandem quæstionem de concursu synodorum patriarchalium & provincialium cùm discutiendam sibi sumpsisset Theodorus Balsamon *ad can. 8. Concilii Sexti in Trullo*, in alia omnia abit, & decidendum eam putat ex Justiniani Imperatoris supra adductâ novellâ 137. cap. 4. Videamus, quo successu. Dico, inquit, non nemo, quod cùm Episcopi quotannis apud Metropolitanos convenire cogantur, metropolitani apud Patriarcham convenire non cogentur. Vel enim illi apud patriarcham convenient, & provincialium Episcoporum synodos cessare usu venit, vel non convenient, & Patriarchæ synodi non sient. Et hæc quidem dicat aliquis, verisimile est. Rectè hoc colligit Balsamon, & eventus docuit, haud vanam esse collectionem. Sed nunc pergit ille: *Tu autem diligenter lege caput vigesimum tituli 1. lib. 3. (novellam scil. supra memoratam) hæc ex parte dicens, omnimodo unam synodum quotannis celebrari mandamus in unâquaque provinciâ vel Junio vel Septembri mense, & eos qui ab illis ordinantur, alios autem Episcopos ordinandi jus non habent, apud beatissimos patriarchas convenient. Apud religiosissimos autem metropolitanos cuiusq; provinciæ, qui ab iis ordinati sunt. Nota igitur ex hac novellâ, quam ob rem provinciales patriarchæ Constantinopolitani επισκόπων & πατριάρχων καρεκτικῶν, vocantur Archiepiscopus Derci, Messane, Parii, Apri &*

XXXII

alii

*nonnulli Archiepiscopi & metropolitani, quibus nulli subsunt Episcopi. Illi enim & soli ad patriarcham semel quotannis convenire compelluntur &c.*

LXXVIII. Quod de pluribus patriarchis constituit Justinianus, ut apud eos convenire deberent, qui ordinati ab eis essent, id de uno Constantinopolitano explicat Ballamon. Cumque deinceps negative legat verba ἐκεῖνος τές παρ' αὐτῶν μὴ χειροτονηθῆσεν, μὴ ἔχοντας ἢ δίνασον ἀλλας Ἐπισκόπους χειροτονεῖν, illos qui ab ipsis ordinati sunt, & qui non habent ius alios Episcopos ordinandi, uti communiter etiam legitur in vulgaribus noveliarum editionibus, illa restringit Ballamon ad obscuros illos Archiepiscopos Derci, Messanæ, Parii, Apri & alios nonnullos, qui sine dubio Justiniani seculo nullifuerunt. Supra autem laudavi συχασμὸν Petri de Marca, qui in Novellā adductā expungit negativam particulam μὴ, quod absurdus planè ex ea & omnino nullus haberi posse sensus. Inde ergo secundum ipsius interpretationem Metropolitanū his verbis descripti illic sunt: *Ilī qui à Patriarchis ordinati sunt, & habent ius alios ordinandi.* Et illos vult Justinianus apud Patriarchas suos quotannis convenire.

LXXIX. Ceterū, quæ ita per consensum decreta fuérunt in Conciliis, ex se, nisi quid aliud extrinsecus accesserit, non habent obligandivim aliam, nisi talem, qualis ex qualicunque conventione oritur. Legis autem naturam induunt, & leges reipsā fiunt, sicubi confirmantur ab eo, qui τὸ νόμον tenet in Rep. Et hæc confirmatio per legem publicam facit, ut vi ἀναγνωσιν cogi possint refractarii ad partitionem, cùm Ecclesia quā talis, ut alias plenius dicam, potestate tali externâ destituatur. Ut hic longius excurrat, necesse non est, cùm in historiā Ecclesiasticā nota sint exempla Constantini, Theodosii, Marciani & aliorum Imperatorum, qui ὑποθεσαν addiderunt decretis Conciliorum, definitis simul pœnis, si quis fecerit quid dixerit vel fecerit. Et omnino interest Reip. ut tūm religio sarta tecta conservetur, tūm etiā disciplina Ecclesiastica, sed quam utramque difficulter sustinebit Ecclesia, nisi accesserit brachium seculare.

## CAP. XIX. De Jure condendi statuta.

### I.

**E**X his quæ antecēdente capite diximus sequitur, Episcopum cum Synodo suā etiam statuta condendi potestatem habere. Universitates enim omnes & Collegia omnia licita & approbata possunt condere statuta